This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Sf 14.87

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 Stephen Salisbury, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."



FLORI HISTORICI

VEL POTIUS RHETORIS

DE VERO NOMINE, ÆTATE QUA VIXERIT, ET SCRIPTIS,

HANC DISQUISITIONEM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

GASTON BIZOS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

RHETORICÆ IN LYCEO VESONTIONENSI PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXVI.

FLORI HISTORICI

VEL POTIUS RHETORIS

DE VERO NOMINE, ÆTATE QUA VIXERIT, ET SCRIPTIS,

HANC DISQUISITIONEM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

GASTON BIZOS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

RHETORICÆ IN LYCEO VESONTIONENSI PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXVI.

Wf 19.87

JUN 1 1906
LIBRARY.
Salisbury Fund

CARISSIMO MAGISTRO ET ORNATISSIMO VIRO

GASTON BOISSIER

IN GALLIÆ COLLEGIO ET IN SCHOLA NORMALI

LATINARUM LITTERARUM PROFESSORI

UNI EX ACADEMIÆ GALLICÆ XL.

Gratissimi et devotissimi animi pignus

D. D. D.

PROŒMIUM.

Aliquot abhinc annis Flori historicos libros per longum tempus valdè corruptos mirâ cum sagacitate Otto Jahn ad artis criticæ leges tractavit et emendatos illustratosque Lipsiæ edidit [1]. Hoc perfecit potissimùm codice Bambergensi adjutus, quem primo et accuratius examinatum optimum esse antiquissimumque agnovit et professus est. Simul etiam utebatur Nazariano codice, ex Heidelbergensi bibliothecâ, et manuscriptis Jornandis episcopi libris, qui in opere quod de regnorum successione composuit, ubi Romanæ reipublicæ res narrat, Florum adeò serviliter imitatus est, ut eum pænè ad verbum repetierit. Ergo, novâ editione ad unguem factâ, O. Jahn in præfatione dicit se ab historicâ et oratoriâ crisi abstinere, quum contentus sit cuivis hunc laborem suscepturo « fundamenta jacere, a quibus proficisci possit. » Illud ipsum opus, quod occupandum tractandumque vir doctissimus prædicat, ego hodiè, postquam omnes criticos grammaticosque, qui sæpissimè Floro studium navaverunt, diligenter legi ac perlegi, ita aggredior ut me omnes

(1) Juli Flori Epitomæ de Tito Livio bellorum omnium annorum DCC libri duo. — Recensuit et annotavit Otto Jahn. — Lipsiæ apud Weidmannum. 1872.

de nostro epitomes auctore quæstiones pro mea virili parte absoluturum esse sperem. Etenim inter tot viros, prudentiâ et doctrinâ insignes, a quibus Florus multum lectitatus est et annotatus, nullum reperias qui rem ad integrum dijudicet et solvat: quisque autem suum sibi materiæ quasi angulum tribuit. Nempè hic tantum demonstrare conatur quâ noster ætate vixerit, ille quibus fontibus et quâ ratione eis usus fuerit; alius quærit utrum Florus nullum historiarum auctorem præter Titum Livium imitatus sit an plures sibi exemplo proposuerit; alius per omnes chronologicos et geographicos et historicos errores levissimum negligentissimumque scriptorem sensim et pedetentim censor castigatorque sequitur; denique alius nos docet Florum, nobilissimo historici nomine indignum, rhetoribus annumerandum esse.

Ego verò, quum ultimus Floro curam impendere decreverim, hoc mihi propono ut, quidquid de codicibus perfectè scripsit O. Jahn certum, sicut ipse dicit, fundamentum habens, omnem omnium de Floro quæstionum varietatem amplectar, multa ab aliis reperta in meliorem lucem meliori ordine et disquisitione allaturus, nonnulla etiam, ni fallor, nova et peculiaria arbitrio doctorum virorum et judicio approbaturus.

CAPUT PRIMUM.

DE FLORI NOMINE ET ÆTATE.

Me quidem hoc opus incipientem minimè fallit quantum negotii sustineam, quot et quantis ab initio difficultatibus salebrisque occurrere videar. Etenim jure ac merito Salmasius in prologo ad Florum dicit facilius inveniri posse cujus non sit quam cujus sit hoc rerum Romanarum breviarium, ita ut errores refutare potius quam verum exprimere criticorum industria et solertia debeat.

Jam indè a principio adeò tenuia et obscura testimonia reperimus ut primâ specie ne quo nomine quidem Florum appellem sciam. Inter omnes qui a Scaligero usque ad æquales nostros ex professo et cum curâ quis ille fuerit inquisiverunt, multi eum *Lucium Annæum Florum* vocant, plurimis codicibus freti, præsertim libro Nazariano, cui talis titulus a Salmasio inscriptus fuit, quia in primo folio legitur : « *Iste liber est ecclebeati Nazarii in laurissâ.* » Duisburgensis autem codex nostrum tantummodo *Lucium Florum* nominat : at contra nonnullis aliis, si Salmasio fides adhibenda est, *Lucius Annæus* solum inscribitur. Postremo quidam editores, inter quos imprimis Gruterus et Freinshemius numerantur, quum modo Florum, modo Senecam in codicibus legerent, rem injudicatam reliquerunt, et ambiguum « *Lucii Annæi sive Flori sive Senecæ* » titulum sibi sumpserunt.

FLORI HISTORICI

VEL POTIUS RHETORIS

DE VERO NOMINE, ÆTATE QUA VIXERIT, ET SCRIPTIS,

HANC DISQUISITIONEM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

GASTON BIZOS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

RHETORICÆ IN LYCEO VESONTIONENSI PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXVI.

Nonne hæc tanti pretii de Trajano verba, quibus præsertim nixi veterem de Flori tempore litem componere infra conabimur, satis atque super impediunt - quin Florus cum Senecâ [1] confundatur? Ceterum, si quis duos locos vel primoribus labris attigerit, expeditè et celeriter agnoscet hos, ut rectissimè in primo de historicis latinis libro Vossius indicavit, adeò dissimiles esse ut nullo modo ab eodem viro scripti fuisse videantur. Etenim, dum Florus ætates ambas in unam contrahit, Seneca infantiam a pueritiâ sejungit : prior post finem, alter ante initium primi belli Punici, adolescentiæ terminum imponit. Tum vero Seneca a civilibus Cæsaris Pompeiique bellis, Florus autem ab Augusti principatu senectutem imperii numerat. Denique quæ potest Senecæ populum Romanum sub principibus quasi ad alteram infantiam revolutum fuisse narranti cum Floro esse conjunctio! quippe qui Urbem sub Trajano imperatore quasi redditâ juventute revirescentem non sine lætitiâ quâdam profiteatur.

At, postquam Vossius nonnullique vestigiis ejus insistentes malam istam confusionem satis feliciter improbaverunt, non illis contigit ut ex eodem Lactantii loco se omninò excutere et solvere valerent. Nam, dum rei absurdè fictæ reclamitant, novam

(1) Optimè monet in præfatione O. Jahn hic M. Senecam, philosophi patrem, intelligi debere, quem historias ab initio bellorum civilium pænè usque ad mortis suæ diem constat scripsisse : quod e fragmento filii a Niebuhrio detecto scimus.

incompertamque eodem è fonte conjecturam hauserunt, non jam ipsum Senecam epitomes auctorem exstitisse, sed nescio quem ex Annæâ gente virum, levissimis, ut opinor, argumentis constituentes. Primo enim Hispanum eum esse volunt, quum præsertim Hispanorum virtutes ad cœlum extollat. « Missi sunt, inquit, duces qui ferocissimas gentes, » et ad id temporis liberas, ideo impatientes jugi, » multo labore nec incruentis certaminibus servire » docuerunt [1]; » et : « Tandem Hispaniam Sertorius » armavit. Viro cum viris facilè convenit; nec alias » magis apparuit Hispani militis vigor quam Ro- » mano duce [2]. » His infirmissimis ad probandum locis adjuti nullam moram faciunt quominus nostrum scriptorem non in Hispaniam modo accipiant, sed etiam in Annæorum numerum. Imo propter dicendi genus Floro Senecam comparant, et, communia non sine magno sudore quædam experti, ovantes exsultant, perindè ac si ferè omnes illius ætatis auctores non apud rhetores declamassent et indè easdem ad scribendum artes eademque orationis vitia non assumpsissent, nedum id tantum Annæis proprium fuisse et peculiare meritò videatur.

Quum autem hæc omnia, quamvis ingeniosissimè reperta, nullo modo undè hoc Flori nomen venerit explanent, conjecturâ novâ et minimè vel ad probabilitatem quamdam pertinente utuntur. Nempè his-

(1) Florus, ex O. Jahn recensione, I, 33.
(2) *Ibid.*, II, 10.

toricum nostrum nescio quâ adoptione nomen mutasse fingunt, atque indè esse quod idem dictus sit *Lucius Annæus Florus* et *Lucius Annæus Seneca*. Nec acutioribus criticis satis est. Nam, quum facilis in proclivia levissimarum opinionum decursus sit, eis verisimile videtur a nostro epitomes auctore, Annæâ gente orto, scriptam fuisse Octaviam istam tragædiam, quam Lucii Senecæ philosophi non esse omnino manifestum et apertum patet. Ita post longam orbitatem miseræ fabulæ insperatum et adventicium parentem reddiderunt.

Nos igitur, quibus vera quædam in disputando limare potiusquam nostri ingenii acumen avidamque fingendi ubertatem ostentare curæ est, a talibus conjecturis vehementer abhorremus, Annæique nomen infitiamur : quippe quod profectò propter inconsultam Lactantii lectiunculam librarii usurpaverint. Quæ quum ita sint, epitomes auctorem *Julium Florum* nuncupandum esse, optimi antiquissimique codicis auctoritate freti, persuasum habemus (1).

Quis autem fuerit ille Julius Florus, utrum sit aliquis ex veteribus scriptoribus, cujus testimonio hæc res ad liquidum deduci possit, an nihil de personâ illius vitâque ad nos pervenisse profitendum sit quærere nunc operæ pretium est. Primum nobis occurrit Florus quidam, cujus Marcus Seneca in suo de controversiis libro meminit : « Ipse audivi Flo-

(1) Epitomæ Juli Flori de Tito Livio bellorum omnium annorum DCC libri duo (C. B.).

» rum quemdam, auditorem Latronis..... » Paulo post excerptum ex illius declamatione in medium adducit, partim ut vituperet, partim ut laudibus prosequatur(1). Illum autem, de quo, ut de homine obscuro *dicens Florum quemdam*, Seneca loquitur, omnium consensu amolior et amoveo, quoniam illi Tiberii imperatoris æquali nulla conjunctio est cum Trajani et Hadriani tempore, quo nostrum Julium Florum, sicut infra omninò fidem faciemus, vixisse constat.

Huic ætati propiores forent *Julius Secundus* ille et patruus hujus *Julius Florus*, quorum mentio fit apud Quintilianum : « Memini narrasse mihi Julium » Secundum, illum æqualem meum, atque a me, » ut notum est, familiariter amatum, miræ facun- » diæ virum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi a » patruo suo dictum. Is fuit Julius Florus, in elo- » quentiâ Galliarum, (quoniam ibi demum exercuit » eam), princeps; alioqui inter paucos disertus et » dignus illâ propinquitate. Is, quum Secundum, » scholæ adhuc operam dantem, tristem fortè vidis- » set, interrogavit quæ causa frontis tam adductæ? » Nec dissimulavit adolescens, tertium jam diem » esse, ex quo omni labore materiæ adscribendum » destinatæ non inveniret exordium. Tum Florus » arridens : numquid tu, inquit, melius dicere vis » quam potes (2) ? »

---

(1) M. Senecæ *Controversiæ*, xxv.
(2) Quintiliani *Institutiones oratoriæ*, x, 3.

Quum idem Quintilianus Julii Secundi gratiam in explicando, candidum et lene et speciosum dicendi genus, verborum proprietatem laudet[1], non est mirandum si critici quidam, historico nostro nimium faventes, auctorem epitomæ in illo Fabii loco agnosci sibi persuaserunt. Sed certa quædam obstant. Quomodo enim de Trajano loqui potuisset Secundus ille, quem fato interceptum aliquot annos antequam Institutionum oratoriarum opus componeret in decimo suo libro Quintilianus deflevit et laudibus extulit : « Julio Secundo si largior contigisset ætas, » clarissimum profecto nomen oratoris apud pos- » teros foret. Adjecisset enim atque adjiciebat ce- » teris virtutibus suis quod desiderari potest[2]. » Hos autem libros imperante Domitiano Quintilianus scripsit. Eadem igitur temporum habita ratio planius etiam impedit quin patruum Secundi, Julium Florum, auctorem nostri operis arbitremur. Unum jam restat ut quamdam Vossii conjecturam non silentio prætermittamus : quippe qui historicum ex eodem stirpe, imo fortasse filium illius Julii Flori vel potius nepotem fuisse opinetur. Quamvis de hâc re nobis, omni deficiente argumento, nihil affirmare liceat, libenter tamen fatemur tali conjecturæ hoc saltem laudi dandum esse quod, si nullo quidem modo vera dicenda sit, eam veluti falsam aut absurdam refutare nemo possit.

---

(1) Quintiliani, *Institut.*, x, 1.
(2) *Ibid.*, x, 3.

Verum ne ejusmodi quidem est criticorum aliorum opinio, quibus idem noster Florus videtur, cujus hosce ad Hadrianum imperatorem versiculos Spartianus refert :

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas;

et cui Hadrianus non inficetè respondisse narratur :

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Calices pati rotundos (1).

Nulla dubitandi causa est quin ille poeta idem sit cum Floro quodam, cujus hæc ad divum Hadrianum verba « poematis delector » et « quasi de Arabe aut » Sarmatà manubias » profert Charisius grammaticus et laudat (2). Quum autem in Charisii editionibus Annæus Florus olim legeretur, verisimile videbatur *Lucium Annæum Florum* (sic enim historicum, ut supra diximus, codices nonnulli vocant) simul hos ad Hadrianum versiculos et rerum Romanarum epitomen et multa alia scripsisse. Ita ad eumdem a quibusdam quasi per saturam attribuuntur epigrammata *de rosis* et *de qualitate vitæ* (3), vel *Flori* vel *Floridi* sub titulo edita, et primum a P. Pithæo in Anthologiam recepta, atque etiam incerti omninò

(1) Spartianus, 16.
(2) Charisius, I, p. 38.
(3) Wernsdorf, *Poetæ latini minores*, e N.-E. Lemaire collectione, II, p. 537.

auctoris, ut apud Wernsdorfium (1) videre est, trochaicum illud poema, venustum quidem et elegans, sed seriore interdum et corruptâ latinitate, cui *Pervigilium Veneris* aut *Carmen de vere* è codice antiquo Salmasii inscribitur. Ecce vero hæc conjectura omniaque huic superstructa omninò concidunt, quia O. Jahn non *Annæum*, sed *Annium Florum*, luculentè scriptum apud Charisium legit. Idem vir doctissimus hoc *Annii* nomen in Bruxellensi quodam codice, quem a Theodoro Œhlero inventum Fridericus Ritschelius descripsit (2), reperiri nos monet : quippe quum talis illi fragmento titulus sit : « *P. Annii* » *Flori* Virgilius orator an poeta incipit. » Nihil quidem aliud esse hoc fragmentum videtur quam declamationis cujusdam procemium, in quo, more rhetorum grammaticorumque haud semel Lucanus utrum historicus an poeta fuerit quærentium, neque nova forsan neque inaudita, quamvis vana et inanis, illa instituitur quæstio utrum Virgilius orator an vates nuncupandus sit et habendus. In eâ declamationis præfatione Annius Florus ille, de semetipso suisque rebus multa narrans, dicit se, in Africâ natum, Romæ inter rhetores poetasque floruisse. Quum autem ludis Capitolinis eum Domitianus imperator coronâ privasset, urbem iratus reliquit, et, post longos per varias regiones vagatus erroresque, denique Terracone, in Hispaniâ, scholam haud ignobilem aperuit :

(1) Wernsdorf. *Poetæ latini minores*, e N.-E. Lemaire, collectione, II, p. 502.
(2) Fred. Ritschelii *Rhenanum Museum*, I, p. 302.

ibi etiam vivebat sub principe Trajano, de cujus Dacico triumpho se carmina scripsisse refert. Quapropter non immerito, ut opinor, hic *Annius* Florus idem credendus est cum Annio Floro, cujus apud Charisium et Spartianum quædam ad Hadrianum verba legimus. Sed maximâ audaciâ et incredibili levitate opus est ut illum Africanum Annium poetam epitomes auctorem fuisse aliquis contendat, etiamsi historico nostro *Annæi* nomen retineatur (1) : quod, Julium Florum eum vocandum esse rati, prorsus antiquandum censemus : sic enim in Bambergensi codice legitur.

Hâc igitur, nisi nos fallit opinio, primâ nostræ disquisitionis parte concludendum est nos verum historici nomen tenere, sed de vitâ illius personâque nihil, præter incertissimam conjecturam, habere. Quod autem ad ætatem illius attinet, speramus nos feliciores quo tempore vixerit certissime probaturos esse. Etenim ad id efficiendum nobis occurrunt res quædam, quas de suo ipse tempore suppeditat, et sermonis indoles, et dicendi genus, et verborum compositio, è quibus vel celeriter inspectis multa intelligenda de proposito sunt.

Nempè hoc optimè nobis in manus Florum sumentibus evenit quod in primâ etiam procemii paginâ legitur : « A Cæsare Augusto in sæculum » nostrum haud minus anni ducenti, quibus inertia

(1) Hoc tamen contendit temerariâ et verè puerili argumentatione Joseph Reber in disquisitione suâ « *Das Geschichtswerk des Florus*, » Freising, 1865.

» Cæsarum quasi consenuit atque decoxit, nisi quod » sub principe Trajano movit lacertos et præter » spem omnium senectus imperii quasi redditâ » juventute reviruit[1]. » His verbis nemo non agnoscere potest auctorem operis sub ipso Trajano floruisse vitamque in Hadriani principatum extendisse : quod quidem satis atque super demonstrant voces illæ restitutæ *movit, reviruit*[2]. Præterea id aliis locis corroboratur. Dum Campaniam describit, de Vesuvio loquitur, quem Ætnæi ignis imitatorem vocat[3] : non illa addidisset verba, nisi cognovisset Herculanei memorabilem casum, quem, anno post Christum octogesimo, nonum kalendas septembris, imperante Tito, accidisse certissimo Plinii Junioris testimonio constat[4]. Magni quoque momenti est quod Florus haud semel mentionem facit domitæ Britanniæ, quam opprimere tantæ molis fuit, ut, a Julio Cæsare nequidquam lacessita, sub Claudio principe rursus et jam felicius oppugnata, Domitiano regnante demum ab Agricola, illustrissimo Taciti socero, pervicta et pacata fuerit. De quâ dicit Florus : « Britannos, ut non in usum, ita ad imperii » speciem, magna nomina adquisisse pulchrum et » decorum[5]. » Alias memorat famosum illum Hercynium saltum, formidine et horrore plenum, Ro-

(1) Florus, ex O. Jahn recensione, I, 1, 5.
(2) Sic in codice Bambergensi.
(3) Florus, I, 11.
(4) Plinii *Epistolæ*, VI, 16.
(5) Florus, I, 46.

manis victoribus invium, tutum autem indigenis hospitium [1]. Ad hæc addendus est hic locus, in quo Florus, narrans quomodo Pompeius Hierosolymam intraverit, Judæos jocosis petulantibusque calumniis aggreditur et gentem impiam vocat [2]. Nonne è talibus verbis tempus illud odorari licet, quo infelicem populum a Tito summâ cum crudelitate funditùs eversum pervicax et inconsultum Romæ victricis odium persequebatur, ut apud Tacitum ipsum sæpissimè et præcipuè in quinto Historiarum libro videre est : « Nec quidquam prius Ju-
» dæi imbuuntur quam contemnere Deos. »

Jam verò, expositis iis argumentis, quæ res ipsæ a Floro memoratæ ministrant, ad sermonis indolem, ad dicendi genus provocare utilissimum est, ut omninò extra dubitationem ætas historici constituatur. Quod ceterum nunc adumbrare tantum in animo est, quoniam idem planius expressurus sum, quum de Flori linguâ fusè disserendi tempus erit. Cuilibet igitur vel leviter et strictim legenti apparent simul in Floro dictionis brevitas concinnitasque, concisa et curtata enuntiata, translationum nunc tumidarum nunc inter se discrepantium copia, crepaces et tinnulæ sententiæ : quæ omnia declamatorias officinas et artes redolent et illius ætatis propria esse sine dubio judicantur, cujus domini fuere rhetores et magistri. Imò poeticum colorem amat et splendidas modulatasque voces, quæ ne oratoris quidem, sed

(1) Florus, I, 5. — (2) Id. I, 40.

vatis esse haud immeritò videntur. Addas frequentissimam Virgilii et Horatii et Ovidii et Lucani præsertim imitationem, quo certius agnoscas idem tempus, quo, ut in Dialogo de oratoribus reperire est, exigebatur « ab oratore poeticus decor e carminibus » assumptus. »

Denique, quod ad ipsam verborum compositionem attinet, quot et quanta jam corruptam deflorescentemque linguam indicantia reperias. Ut longâ facilique exemplorum serie abstineam, tantummodo quædam ex illis selecta, et, sicut ait Quintilianus, collectiva proferam. Sæpius easdem particulas usque ad satietatem Florus repetit, pronomina sine ullâ necessitate addit, præpositionibus contra veterem bonæ latinitatis usum interdum utitur, et, quod multò gravius est, novam singularemque notissimis verbis notionem attribuere solet. Dicit enim non *orbis terrarum*, sed *mundi* in extremis partibus (1); non *durasse*, sed *traxisse* decem annos dominationem (2); non *mitigasse* filium, sed *exarmavisse* Veturiam (3); non in hostes *se mittere* consulem, sed *se jaculari* (4); non lapidibus aliquem obruere, sed *lapidare* (5); non integram sub se redigere, sed *consummare* Italiam (6); non supra civium æqualitatem, sed *incivilius se efferre* (7); quæ omnia aut apud poetas ipsos rarissima aut posteræ ætati propria aut etiam uni Floro peculiaria sunt.

---

(1) Florus, iv, 1. — (2) Id., iv, 2. — (3) Id., i, 22. — (4) Id., i, 14. — (5) Id., i, 22. — (6) Id., i, 18. — (7) Id., i, 26.

His igitur superioribus locis, ut mihi persuadeo, demonstratum est Florum Trajani Hadrianique ævo vixisse. Hæc tamen ferè omnia perfringere conatus est Nicolaus Titzius tribus quæstionum libris, qui anno MDCCCIV Lincii prodierunt, et postea in editione suâ, quam anno MDCCCXVIII curavit. Vir ille, acutissimo sanè ingenio et pugnacitate mirâ præditus, sed maximâ nondum credita firmandi cupiditate raptus, monstrare tentavit epitomen non Trajani aut Hadriani tempore scriptam fuisse, sed compositam a Julio Floro, Augusti imperatoris æquali, Tiberii comite et amico, ad quem duas epistolas Horatius Flaccus misit, eum ut causidicum, jureconsultum, et poetam simul prædicans :

> Seu linguam causis acuis, seu civica jura
> Respondere paras, seu condis amabile carmen,
> Prima feres hederæ victricis præmia (1).

Hanc novam inopinatamque sententiam contra omnium opinionem ità tenaciter et obstinatè persecutus est ut in Floro ab illo restituto vel potius deformato frustrà Florum requireres. Etenim quidquid ad aureum latinitatis ævum pertinere illi videtur miratur et servat; quæcumque vero ætate Augusti indigna putat a sciolo et interpolatore quodam Trajani vel Hadriani tempore adjecta esse monstrare conatur et velut improba adulterinaque radicitus rescindere non dubitat. Ut unum tantæ stragis

(1) HORATIUS, *Epist.* I, 3, 23.

exemplum referam, Titzius, quum Florus noster plurimos maximosque in Augusti temporibus nominibusque errores commiserit, quo melius his rebus salvâ opinione suâ mederetur, omnem ultimi libri finem resecuit. Quamvis non longam refutationem talis opinio mereret, *Meinertus* annalium Vindobonensium volumine octavo et vicesimo *Gossravius* que in dissertatione de Floro Quedlinburgi editâ eam aggressi sunt et oppressere. Prior autem sæpius leves conjecturas levibus conjecturis opposuit; alter, sapientior et meræ veritatis amicior, verbosâ grandique argumentatione utitur, quæ adversarii auctoritati non congruit. Amborum auxiliis niso Titzium refellere mihi in animo est, ita tamen ut prioris audaciam et tarditatem alterius evitem. Præterea aliquandiu in hâc refutatione moror, non quod insani erroris Titzium pro meâ parte convincere cupiam, (id enim facile et parvi momenti est), sed quia simul nostram opinionem omninò confirmandi et aliquot memorabiles Flori locos perpendendi vel explanandi occasio ita nobis occurrit. Ante omnia Titzius ad sententiam suam constituendam ponderis maximi esse putat illum procemii locum : « A Cæsare » Augusto in sæculum nostrum haud multò minus » anni ducenti. » Quærit enim quomodo isti ferè ducenti anni a Cæsare Augusto computandi sint : nullo quidem invenit modo, sed monstrat nos vel ad Caracallam, vel ad Marcum Aurelium, vel ad Antoninum, nunquam autem ad Hadrianum devenire, sive a morte ipsius Augusti, sive ab illius principatu,

sive ab exitu Julii Cæsaris, sive ab Augusto post avunculi cædem Romam redeunte et exercitum conscribente initium capiamus. Ut Titzio respondeam, minimè, ut opinor, opus est contra codicum consensum hanc sequi Vossii viam : « Ab Augusto prin-
» cipatu usque ad Trajani imperium sunt anni tan-
» tum 124, sive, si putes ad excessum Trajani, anni
» erunt 143. Verum legendum puto apud Florum,
» anni 150. Nam quisquis manuscriptos Flori codices
» versavit, scit quantopere in annis variet prologus
» iste (1). » Equidem non solum nihil in illo loco mutandum, sed etiam errorem istiusmodi minimè mirandum esse censeo, quum, ut merito Rupertus de Floro dicit, præsertim in historiâ cautè legendus ille sit, « quod multos nunc metachronismos nunc
» prochronismos committat. » Sæpissimè et præsertim in procemio numeris rotundis utitur : quod commune cum aliis præclaris rerum scriptoribus habet. Præterea majus illud temporis spatium, addens *haud multo minus*, voluisse corrigere videtur.

Sed quosdam alios videamus locos quibus Titzius maximè nititur. Quum Varianam cladem Florus narrat, dicit « signa et aquilas duas Barbari adhuc pos-
» sident (2). » Tacitus autem scripsit L. Stertinium Tiberio imperante undevicesimæ legionis aquilam apud Bructeros reperisse et ipsum Germanicum apud Marsos in luco alteram feliciter eruisse (3).

(1) G. J. Vossius, *De historicis latinis*, I.
(2) Florus, II, 30.
(3) Tacitus, *Ann.* II, 25.

Idem Florus in descriptione Campaniæ dixit : « Ve-
» suvius, Ætnæi ignis imitator, urbes ad mare For-
» miæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum,
» Pompeii [1]. » Herculaneum et Pompeios commemorat quasi exstent, quamvis, dum Vesuvium Ætnæi ignis imitatorem vocat, montem sub Tito flagrantem et miserorum oppidorum interitum se novisse testetur. Mihi autem hos locos examinanti hoc tantum non verisimile modo, sed etiam certum videtur Florum adeò negligentem sæpius fuisse ut antiquiores scriptores ad verbum incogitanter repetierit et multas res olim veras, at Trajani vel Hadriani tempore non item, transcripserit. Multos igitur istiusmodi locos a Titzio notatos amolior et amoveo, quia similibus simile semper responsum occurrit Florum cum summâ levitate et incuriâ optimis fontibus usum fuisse.

Jam vero multum sudoris Titzio fuit circa hunc Flori locum : « Imperium Romanum jam ad Cæsares
» transferente fortunâ [2]. » Quærit enim quid sibi velint illa verba : *ad Cæsares* ? Primo dicis causâ Julium Cæsarem et Augustum ita signari in medium jacit : deindè, prætermissâ opinione tali, Caïum et Lucium, quos in imperio secuturos adoptaverit Augustus, indicari arbitratur. Non autem animadvertebat Caii et Lucii mortem ab ipso Floro memoratam fuisse : « Ambo fato breves; sed alter inglorius.
» Massiliæ quippe Lucius morbo solvitur : in Syriâ

(1) Florus, i, 11. — (2) Id. ii, 14.

» Caius ex vulnere, quum Armeniam ad Parthos se » subtrahentem recipit [1]. » Nonne igitur jure et merito mihi manifestum videtur illos Cæsares omnes ab Augusto usque ad Trajanum Hadrianumve principes esse, eò magis quod apud Ammianum Marcellinum, sive Senecæ, sive Flori imitatorem, legitur : « Urbs venerabilis velut frugi parens, et prudens, » et dives, *Cæsaribus*, tanquam liberis suis, regenda » patrimonii jura permisit [2]. »

Hoc insuper Titzio non minori impedimento est quod Florus, Drusi res gestas ad cœlum extollens et fusè narrans, omninò Tiberii bella tacitus reliquit. Etenim quomodo Julius Florus ille, Tiberii comes et minister, ne mentionem quidem ducis et amici fecisset? Hæc tamen proponit flexibile Titzii ad conjecturas ingenium : « Erat Tiberio toto illo tempore » tanquam lege fixum, quam minimè pati laudum » suarum prædicatores, quæque ipse egerat in ho- » norem Drusi et Augusti conferri non solum facilè » patiebatur, sed etiam de industriâ, ut id fieret, » curabat. » Ista autem explicatio vana et inanis est, nec illo modo, ut opinor, rationem Titzius invenit cur Florus tam parcè de Tiberio locutus sit et etiam in bello Norico ejus partes in Drusum transtulerit. Equidem credo sibi tantum in opere suo Florum hoc proposuisse ut usque ad Augusteum, id est, florentissimum Romanarum rerum tempus histo-

---

(1) Florus, ii, 32.
(2) Ammianus Marcellinus, *Historiæ*, xiv.

riam deduceret. Quum vero cum Tiberio incipere tristem istam imperii Romani senectutem arbitraretur, sine dubio lætam totius Romanæ ad hunc diem vitæ imaginem inviso Tiberii nomine turbare noluit et omnia ad eum pertinentia ob id tantum commemorare omisit.

Quin etiam Titzio concludendum videtur Augusti æqualem Florum esse, quod illius principis laudatorem se sæpius et manifesto prodat. At contra, si quis attentè res Augusteas apud Florum legerit, promptius agnoscet eum, quamvis multa rectissime probet et laudet, nullo modo perpetuum nimiumve imperatoris prædicatorem exstitisse, sed plurima vel graviter vituperasse. Nonne hæc illud propriè demonstrantia verba Florus scripsit : « Populus Romanus in statum pristinæ libertatis redierat, nisi » aut Pompeius liberos aut *Cæsar heredem* reliquisset (1)? » Nonne, dum triumviratum exsecratur, in Octavianum cadit hic locus : « Nullo bono » more triumviratus invaditur; oppressâque armis » republicâ, redit Sullana proscriptio. Exitus fœdi, » truces, miserabiles toto terrarum orbe fugientium (2)? » Imo cum indignatione summâ Florus de morte Ciceronis loquitur, cujus memoria adeò Augusti imperatoris mentem conscientiâ excitam semper vexavit, ut ne pronuntiari quidem magni oratoris nomen se præsente sustineret; nec Ciceronem modo, sed etiam Cassium Brutumque ademptos,

(1) Florus, ii, 14. — (2) Id. ii, 16.

lugere Florus non dubitat, quorum animas sanctissimas piissimasque vocat [1]. Addit : « Quam verum » est quod moriens Brutus efflavit, non in re, sed » in verbo tantum esse virtutem, » affirmans cum triumviris fortunam, virtutem autem cum Cassio et Bruto fuisse [2].

Postremo Titzius secum ipse pugnat et argumentatione superiori loco omninò contrariâ opinionem suam confirmare conatur. Quippe jam illi Florus videtur nunquam tot et tam audaces sententias proferre ausus fuisse, nisi liberam rempublicam, antequam ad dominum transferretur, cognovisset et amasset. Vehementer autem erravit, neque satis mihi videtur hoc cognitum habuisse quam æquo tranquilloque animo declamationes veterem rempublicam ad cœlum laudibus quotidiè prosequi tulerint Augustus ipse et successores, quamdamque imaginem libertatis oratoriæ, re amissâ, in umbratili loco manere non incallidè permiserint. Etenim nonne declamantibus concessum fuit et sine periculo Ciceronem laudare et Antonio maledicere, ut apud Velleium Paterculum [3] et Marcum Annæum Senecam in Suasoriis [4] videre est? Indè ferè omnes in scholis discipuli, orationes vel versus scribentes, materiam sumebant, ut Cordubensis ille poeta, cujus hoc carminis de Ciceronis obitu initium accepimus

Deflendus Cicero, Latiæque silentia linguæ.

---

(1) Florus, ii, 17. — (2) Id. ii, 17.
(3) Velleius Paterculus, ii, 66.
(4) M. A. Senecæ *Suasoriæ* 6 et 7.

Quid memorem vehementissimas et acerbissimas in scholis adversus tyrannos habitas orationes, in quibus eos occidere eorumque genus de medio tollere pulchrum et decorum prædicabatur[4]. Licebat rhetoribus discipulisque Cassium Brutumque laudare, Pompeio vel Julio Cæsari consilium dare, dum apud populum tacerent, veteris reipublicæ eversoribus conviciari, dum de principe silerent. Imo nonne ipsi Neroni Lucanus famosis versibus dedicavit Pharsaliam suam, monumentum illud in honorem pristinæ libertatis exstructum. Scilicet in optimates vel ob minimam rem sævissimis principes animadvertebant suppliciis, sed nugas inaniaque verba omnia ista putare haud immerito semper visi sunt, si quis declamator aut poeta pristinum reipublicæ statum intra scholæ parietes desideraret, « bella plus quam » civilia » detestaretur, ultimos oppressæ libertatis defensores velut sanctissimos in Deorum numerum acciperet, Pompeium, Brutum, Cassium, Catonem exquisitis nitidisque sententiis potius quam veris querelis ornaret. Quibus satis mihi demonstrasse videor etiam è Titzii argumentis nostram de Floro quâ ætate vixerit opinionem non salvam modo, sed confirmatam omninò exstitisse.

Omni igitur è disquisitionis nostræ primâ parte colligi potest nihil nobis, quum de Floro nulla sit apud antiquos mentio, de vitâ ejus præter acutissimas, sed incertissimas conjecturas, occurrere. Deindè,

(4) Ejusd. *Controversiæ*, I, 7, III, 6, IV, 7.

præsertim codice Bambergensi freti, constituere tentavimus eum neque Lucium Annæum vel Senecam, vel Florum, vocandum, neque etiam Annæis annumerandum, sed Julium Florum esse nuncupandum. Postremò, omnibus de Flori ætate controversis criticorum opinionibus, planè, ut mihi persuadeo, monstratum est scriptorem nostrum, si quidem ipsum de suis temporibus profitentem, non alios, audiamus, Trajani et Hadriani ævo vixisse.

Attamen, ne quid imprudenter omittere videamur, superest ut quædam de Flori patriâ dicamus. De quâ parum omninò constat. Etenim, quum scriptor ipse in opere suo nihil de loco natali suppeditaverit, omnes critici vicissim è septentrionali in meridianam rursusque è meridianâ in septentrionalem regionem patriam ejus arbitrio suo transtulerunt. Alii, qui eum Julium Florum, vel ex ejus nepotibus, esse credunt, Gallum habent; alii, nomine Annæorum ducti, eum ex Hispaniâ oriundum esse volunt, eò magis quod interdum magnopere laudibus Hispanos ornet, ut in hoc loco : « Bellatricem illam viris ar» misque nobilem Hispaniam, seminarium hostilis » exercitus(1). » Levis ille, de quo jam diximus, Flori explanator Josephus Reber, quum epitomæ nostrum auctorem eumdem esse cum Annio Floro, Africano poeta simul et rhetore, contendat, conjecturam suam perficere conatur, Africam ab eo non sine superbiâ quâdam semper defensam fuisse et

(1) Florus, I, 22.

laudatam debilissimis argumentis asserendo. Denique Titzius Florum Germanum esse ut arbitretur inclinat, quod è Treveris, è Germaniâ oriundis, apud Tacitum nominetur aliquis Julius Florus (1), sed omittit animadvertere quot et quantos errores non solum in rebus, sed etiam in regionibus Germanicis, Germanus ille commenticius commiserit.

Ergo è variis istis criticorum conjecturis nullo modo vel probabiliter confici potest quæ fuerit Flori patria. Hoc tamen proponi posse credo eum, orbis meridiani incolam, nunquam septentrionalia novisse. Etenim, quotiescumque de istiusmodi regionibus loquitur, non sine quâdam formidine duritiam cœli, immensa spatia, horrenda omni genere locorum impedimenta, sylvas, saltus, flumina æterno concreta gelu (2), nivosos fabulosæ altitudinis montes (3), in majus augere solet, gentes perpetuis aquilonibus obnoxias, populos immanes (4), Alpina corpora plus quam humana et nivibus suis simile quiddam habentia (5), multiplicat.

Quid multa? Hoc nobis satis esse debet Florum se verè Romanum haberi manifesto velle! Etenim quoties, dum immensam senatûs populique majestatem miratur et ad cœlum laudibus extollit, ipse gentis togatæ personam gerere videtur! Illud pro-

(1) Tacitus, *Germania* 28; *Ann.* iii, 40.
(2) Florus, ii, 28.
(3) Id. i, 22.
(4) Id. ii, 22.
(5) Id. i, 20.

nomen *nos* quoties magnificè, quasi multum sibi sumens, infert! Per totum opus facilè cognoscitur Florum haud semel exsultare, perindè ac si in se Romanum civem tantarumque rerum scriptorem antiquæ gloriæ partem redundare arbitraretur.

CAPUT SECUNDUM.

QUIBUS HISTORICIS FONTIBUS FLORUS USUS FUERIT.

Ex quo, fugatis medii ævi tenebris, renatæ sunt litteræ veteres, usque ad ætatem nostram, ea fato quodam data Floro sors est, ut a primis criticis qui epitomæ restituendæ, explicandæ, ornandæ operam navaverunt, ultra modum laudatus, mox in vituperationes quasdam venerit, et denique, præsertim apud æquales nostros, vehementer lacessitus et elevatus immoderatè fuerit. Etenim Scaligerus, Puteanus, Lipsius, Salmasius, Gruterus, Freinshemius eum omni laude cumulant. Mox alii quidam, inter quos in primis G. Grævius nominandus est, de vitiis Florianæ dictionis doctè atque accuratè disputant, pravumque ejus ac sæpè puerile judicium graviter reprehendere non dubitant. Denique reperias qui inclementius in Florum animadvertant adeòque eum imminuere conentur, ut nihil omninò, nisi errores putidumque declamandi morem, proprium illi et peculiare fuisse contendant, eumque nullo præter Titum Livium historiarum scriptore usum fuisse, sed ab illo solo mutuatum quæ rhetoricâ exornaret vel potius deformaret, publicè profiteantur.

Quod Franciscus Ritter in decimo septimo anna-

lium ab antiquariis Rhenanis editarum fasciculo [1] ita pervicaciter defendit ut « etiam quæcumque apud Florum solum relata leguntur, quia jam Livium adhibere non licet, pro testimoniis merè Livianis haberi » jubeat. Primo fatendum est illius opinionem, si quis in Florianis codicibus titulum tantummodo consideret, verisimilem videri posse. Etenim in Bambergensi libro, quem vetustissimum optimumque esse jam supra diximus, legitur : « *Epitoma Juli Flori de Tito Livio bellorum omnium septingentorum libri duo.* » Item Nazarianus codex inscribitur : « *Epitoma de Tito Livio.* » Haud aliter de nostro breviarii auctore cogitavit Byzantinus quidam scriptor, Malalas, apud quem nominatim memoratum esse Florum invenimus : « Καθῶς, inquit, ὁ σοφώτατος Φλῶρος ὑπεμνημάτισεν ἐκ τῶν Λιβίου συγγραμμάτων. » Quod æquè eo etiam tempore, quo scriptores antiqui in lucem quotidiè resurgebant, credidisse nonnulli docti viri videntur. Ut exemplum referam, in Italicâ vetustissimâque Flori simul et Justini editione, quâ Carolus Andreas Dukerus se usum esse in præfatione suâ dicit, carmen sequens in calce libri legebatur :

Aurea Justini Lucique epitomata Flori
Ære tibi modico, candide lector, eme.
Contrahit iste Titi numerosa volumina Livi,
Pompeii historias colligit ille Trogi (2).

---

(1) Anno 1851.
(2) Lugduni Batavorum Florum edidit Dukerus, anno 1744.

Titulum autem, qualis in manuscriptis libris reperitur, momenti nullius in hâc quæstione haberi debere optimè, ut mihi videtur, O. Jahn in prologo ad Florum nos monet. Quemadmodum enim codices, neque in capitibus ordinandis, neque in libris distinguendis vel alii cum aliis vel cum ipsâ historici narratione consentientes, divisiones omnes non Floro, sed librariis attribuendas esse manifesto monstrant, sic omninò verisimile est nullo modo ab ipso Floro operi titulum impositum fuisse. Quum verò in antiquis codicibus ferè semper veræ Livianarum historiarum periochæ cum Flori opere conjunctæ fuissent, indè evenit ut Flori libello titulus epitomæ de Tito Livio præscriptus fuerit. Imò, quia Livius unicus scriptor fuit, qui linguâ latinâ omnes res a populo Romano gestas indè a primordiis usque ad Augusti tempus pertractavit, Livianæ et Romanæ historiæ prorsùs idem apud doctos ævi medii viros significavere : inde quoque Florus parvus Livius cognominatus est.

Ceterum, si quis, omisso titulo, libelli ipsius lectioni attendere voluerit animum, jam a procemio non servum breviarium, sed peculiari indole et compositione opus in manu teneri expeditè et celeriter agnoscet. Non modo Florus in præfatione suâ ne verbo quidem Livii meminit, sed etiam quæ mens sibi, quod consilium in opere suscipiendo fuerit enucleatè ita dicit : « Quia ipsa sibi obstat magnitudo » rerumque diversitas aciem intentionis abrumpit, » faciam quod solent qui terrarum situs pingunt :

» in brevi quasi tabellâ totam ejus imaginem am-
» plectar, nonnihil, ut spero, ad admirationem
» principis populi conlaturus, si pariter atque in-
» semel universam magnitudinem ejus osten-
» dero [1]. »

Igitur nunc nobis, utrum Florus, ut rem ita cogitatam decretamque perficeret, uno Tito Livio an aliis quoque historicis fontibus usus fuerit, quærendum et explicandum est. Ante omnia fatendum est et a principio constituendum est Floro Titum Livium pro fonte primario fuisse, non solum ex magno numero locorum, in quibus noster cum tanto viro adeò consentit, ut nunc per proprium declamatoriumque tumorem verba Livii luceant et quasi per nubilum recognosci possint, nunc omninò repetantur, sed ex eo quoque quod unus Titus Livius historiam populi Romani indè ab urbe conditâ ad suam usque ætatem perscripsit. Etenim, ut optimè in doctissimâ disquisitione Gottingæ editâ Ulricus Kœhler probavit, non latini modo historici, ut Trogus Pompeius, Velleius Paterculus, Valerius Maximus, Florus ipse, sed Græci etiam, ut Plutarchus, Dio Cassius, Appianus, sæpè Livium secuti sunt et imitati, « ejusque an-
» nales quasi pro horreo quodam duxere, undè,
» prioribus auctoribus rarò tantum inspectis, plena
» manu promerent et in suos usus converterent [2]. »
Hoc autem exposito, multa a Floro præter Titum

(1) Florus, I, 1.
(2) Qua ratione, T. Livii annalibus usi sint historici Græci et Latini (Gottingœ, 1860), page 25.

Livium è fontibus aliis hausta esse haud difficulter expediam. Ad id efficiendum non omnibus Flori partibus, ubi Livius in comparationem vocari potest, grandi et verbosâ enumeratione inhærere mihi in animo est, sed inter omnes ejus generis locos secundum bellum Punicum, exempli causâ, eligere, ita ut ab unâ parte omnes noscere liceat.

Jam ab hujus narrationis procemio gravissimè in historiâ tam certâ clarâque Florus errat : quippequi, quamvis optimè Livius viginti tres annos a fine primi belli Punici usque ad initium Annibalis imperii numeret, quatuor tantum annorum spatium inter ambo bella intercessisse his verbis profiteatur : « Post pri- » mum Punicum bellum : vix quadriennii requies : » ecce alterum bellum (1). » De ruinâ Sagunti scripsit Florus : « *Interim jam novem mensibus* fessi fame, » machinis, ferro, versâ denique in rabiem fide, » immensum in foro excitant rogum (2). » Ait verò Livius *mense octavo*, quam cœptum oppugnari, Saguntum captum fuisse (3). Item Florus a Livio diversus abit narrans quomodo dux legationis Fabius sese in senatu Carthaginiensi egerit. « Tergiversan- » tibus Pœnis, » dicit noster, « quæ, » inquit Fabius, » mora est? In hoc sinu bellum pacemque porto. » Utrum eligitis? » Succlamantibus « bellum, — » Bellum igitur, inquit, accipite (4). » At Livius non

(1) Florus, I, 22.
(2) Florus, I, 22.
(3) Livius, XXI, 14, 3.
(4) Florus, I, 22.

ut *bellum daret*, sed utrum vellet Carthaginienses respondisse ita refert : « Sub hanc vocem haud minus ferociter « *daret utrum vellet* » succlamatum est. Et quum is, « iterum sinu effuso, bellum dare » dixisset, accipere se omnes responderunt [1]. » Porro Florum in enarrandâ ipsâ Cannensi pugnâ præter Livium alio scriptore usum esse è locis sequentibus apparet. Ita enim Florus : « insuper, in- » quit, callidus imperator in patentibus campis, ob- » servato loci ingenio, quod et sol ibi acerrimus et » plurimus pulvis et eurus ab Oriente semper quasi » ex constituto, ita instruxit aciem, ut, Romanis » adversus hæc omnia obversis, secundum cœlum » tenens vento, pulvere, et sole pugnaret [2]. » Cum Floro velut ex eodem fonte hauriens consentit Valerius Maximus : « Ante omnia Hannibal providit, ut » et solem et pulverem, qui ibi vento multus excitari » solet, adversum haberet [3]. » Livius verò id negat quod de sole dicitur, traditque eum utrique parti æquum fuisse, ex obliquo ambobus accidentem : « Sol seu de industriâ ita locati, seu quod fortè ita » stetere, peropportunè utrique parti obliquus erat, » Romanis in meridiem, Pœnis in septentrionem » versis [4]. »

Ceterum in tota prælii Cannensis descriptione Florum juxta Titum Livium ex alio fonte hausisse

(1) Livius, xxi, 18, 14.
(2) Florus, i, 22.
(3) Val. Max., vii, 4 ext. 2.
(4) Livius, xxii, 46, 9.

omninò manifestum patet. Qui, quum de numero Romanorum cæsorum agitur, neque cum ipso Livio neque cum ceteris Punici belli scriptoribus, qui ad nos pervenere, consentit, sed alium quemdam, qui non jam demonstrari potest, ut verisimillimum videtur, secutus est. Titus enim Livius: « Quadra-» ginta, inquit, quinque millia quingenti pedites, » duo millia septingenti equites, et tanta prope ci-» vium sociorumque pars cæsi dicuntur (1). » Idem in alio loco refert in pugnâ Cannensi plus quinquaginta millia hominum cecidisse (2). Livium sequuntur Plutarchus et Appianus. Prior ait: « Λέγονται δὲ πεσεῖν μὲν ἐν τῇ μάχῃ Ῥωμαίων πεντακισμύριοι (3); » alter: « Ἀπέθανον Ῥωμαίων ἐν ταῖσδε ταῖς ὥραις πεντακισμύριοι (4). » Florus autem sexaginta millia numerat (5), neque de industriâ, ut fit plerumque, hæc auxisse in majus videtur, quum Polybius septuaginta millia periisse memoret: « Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες, ὄντες εἰς ἑπτὰ μυριάδας, ἀπέθανον εὐγενῶς (6). »

Addit Florus: « Documenta cladis cruentus ali-» quandiù Aufidus, pons de cadaveribus jussu ducis » factus in torrente Vergello, modii duo annulorum » Carthaginem missi dignitasque equestris taxata » mensurâ (7). » Hujus Vergelli torrentis in illâ

(1) Livius, xxii, 49. — (2) Id. xxv, 6.
(3) Plutarchus. *Fabii Maximi vita*, xvi.
(4) Appianus, *de bello Annibalico*, xxv.
(5) Florus, i, 22. — Sexaginta refert Bambergensis codex, non quadraginta, ut Nazarianus.
(6) Polybius, iii, 117.
(7) Florus, i, 22.

pugnâ describenda nulla apud Livium mentio est, neque pons iste ingestis et accumulatis cadaveribus factus memoratur. Ab alio igitur hanc historiam Florus habet : quippe quæ apud Valerium Maximum quoque reperiatur : « Eorum dux Annibal, » cujus majore ex parte virtus sævitià constabat, » in flumine Vergello corporibus Romanis ponte » facto, exercitum traduxit (1). » Quod ad modios aureorum annulorum Carthaginem missos attinet, Livius tantum acervum annulorum fuisse dicit, ut metientibus dimidium supra tres modios explesse quidam auctores fuerint. Addit ibidem famam tenuisse, propiorem vero, haud plus modio fuisse (2),

Livius, dum narrat quomodo post pugnam Annibal flexerit in Campaniam Capuâque sit potitus, solum refert victoris consilium Urbem non statim aggrediendi Romanis saluti fuisse, neque tamen profitetur quam ob causam milites suos non recta Romam miserit (3). Florus de istâ Annibalis mente dicit : « Sed tum quidem illum aut fatum urbis » imperaturæ, aut ipsius mens mala et aversi a Car- » thagine Dii in diversum abstulerunt (4). » Quod, ut videtur, ex eodem Florus hausit fonte, quo in Fabii Maximi Vitâ Plutarchus usus est : « οὐ ῥᾴδιον » εἰπεῖν, ὅστις ἀπέτρεψε λογισμὸς, ἀλλὰ μᾶλλον δαίμονος ἢ θεοῦ » τινος ἐμποδὼν στάντος ἔοικεν ἔργον ἢ πρὸς τοῦτο μέλλησις αὐτοῦ

(1) Valerius Maximus, ix, 2 ext. 1.
(2) Livius, xxiii, 12, 1.
(3) Id. xxii, 51, 4.
(4) Florus, i, 22.

» καὶ δειλίασις γενέσθαι (1). » Rursus eumdem auctorem Florum et Plutarchum secutos esse è locis sequentibus apparet : « Hinc, ait noster, Fabio cognomen » novum et rei publicæ salutare cunctator, hinc illud » ex populo, *ut imperii scutum vocaretur* (2). » Plutarchus idem cognomen refert indicans undè res sibi suppedita fuerit : « Διὸ Φάβιον μὲν ὁ Ποσειδώνιος φησι » θυρεὸν ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καλεῖσθαι (3). » Quod a Tito Livio prætermissum est.

Denique scripsit Florus : « Relictâ Româ Annibal » Campaniam Tarentumque perrexit, ubi mox et » ipse et ipsius exercitûs ardor elanguit adeò ut verè » dictum sit Capuam Annibali Cannas fuisse (4). » At nunquam Livius de Annibale ipso hoc prodidit ardorem ejus Capuanis hibernis elanguisse.

Memorare quoque operæ pretium est quædam prodigia a Livio prætermissa apud Florum relata esse : « Nec de Diis, inquit, possumus queri. Immi- » nentem temerario duci cladem prædixerant insi- » dentia signis examina, et aquilæ prodire nolentes, » et commissam aciem secutus ingens terræ tre- » mor (5). » Duplici quoque prodigio prædictam Flaminii consulis cladem prodit Livius, sed pro examine apum aliud habet, ducis ipsius nempè casum; « quum ipse in equum insiluisset, equus

(1) Plutarchus, *Fab. Max.*, 17.
(2) Florus, I, 22.
(3) Plutarchus, *Fab.*, *Max.*, 19.
(4) Florus, I, 22.
(5) Florus, I, 22.

» repentè conruit consulemque lapsum super caput
» effudit [1]. »

Haud aliter in rebus Ibericis interdum a Livio valdè Florus abhorret. Noster enim quomodo occubuerit Publius Scipio, Africani pater, ita narrat : « In Hispaniam missi Cneus et Publius Scipiones » pœnè totam Pœnis eripuerant, sed, insidiis Punicæ » fraudis oppressi, rursum amiserant. Punicæ » insidiæ alterum *ferro castra metantem oppresse-* » *rant* [2]. » Livius vero refert Publium Scipionem, quum Suessetanum Indibilem auxilia Carthaginiensibus adducere fama esset, mediâ nocte profectum, cum obviis hostibus prœlium conseruisse primumque superiorem fuisse; mox autem Romanos, ab equitibus Numidis repentè circumdatos et ab aliis Pœnorum ducibus a tergo petitos, ferè omnes periisse, Publioque ipsi latus dexterum lanceâ trajectum esse [3]. Nullo igitur modo Publium castra metantem oppressum esse dicit.

Nec magis cum Tito Livio consentit Florus memorans quomodo Publius Scipio, in ultionem patris ac patrui cum exercitu missus, propter singularem morum sanctitatem ad profligandam Hispaniam maximè profecerit. « Captivos, ait, pueros puellas- » que præcipuæ pulchritudinis barbaris restituebat, » ne in conspectum quidem suum passus adduci, » ne quid de virginitatis integritate saltem deli-

(1) Livius, xxii, 3, 14.
(2) Florus, i, 22.
(3) Livius, xxv, 34.

» basse oculis videretur [1]. » Livius contra nusquam dicit Scipionem vetuisse ne puellæ in conspectum adducerentur, sed auctor est captivam a militibus adductam esse ad eum adultam eximiæ formæ virginem, illamque statim patri et sponso restitutam esse [2]. Quod ad pueros attinet, eorum pudicitiam Scipionem tuitum esse non apud Livium reperire est.

Jam vero, ut expleamus rem in præsenti nostræ disquisitionis capite propositam, hoc superest ut ostendamus Florum, Livio suo aliquoties omisso, aliosquoque scriptores non secutum modo fuisse, sed sæpius etiam ad verba descripsisse. Nempè, si quis non universalem rerum Romanarum historiam, sed quamdam sibi propriam partem fusius et singillatim perfecisset, ad eum Florus se transferebat. Ita in enarrandis Jugurthinis Catilinariisque bellis Sallustium unicum ducem et auctorem a Floro tractatum summâque sermonis ipsius similitudine expressum esse mihi demonstrandum est [3].

In bello Jugurthino [4], hæc a Floro de senatorum avaritiâ scribuntur : « *Potitus Hiempsalis capite*, » quum se in Adherbalem convertisset, isque Romam » profugisset, *missa per legatos pecunia traxit in*

---

(1) Florus, I, 12.
(2) Livius, xxvi, 50.
(3) In hâc omni operis mei parte me doctissimi viri, Caroli Dukeri, vestigiis institisse libentissimè fateor, cujus adnotationes propter eximiam incredibili varietate scientiam vehementer admiror.
(4) Florus, I, 35.

» *sententiam suam senatum.* » Quod mihi ex hoc Sallustii loco Florus videtur hausisse : « *Numidæ* » *caput ejus ad Jugurtham referunt..... cum auro* » *et argento multo Romam legatos misit.* Ubi Romam » venere, ex præcepto regis hospitibus aliisque, » quorum eâ tempestate in senatu auctoritas polle- » bat, magna munera misere (1). »

De Jugurthâ ipso in curiam vocato, utriusque non rerum modo, sed etiam verborum similitudinem reperimus : « Cujus flagitii reus, ait Florus, quum » *interveniente publicâ fide* a senatu arcesseretur, » pari audaciâ venit. » Scripserat Sallustius : « Mummius populo persuadet uti L. Cassius, qui » tum prætor erat, ad Jugurtham mitteretur, eumque » *interpositâ fide publicâ* Romam duceret (2). » Addit regem, Româ egredientem, dixisse : « O urbem » venalem et maturè perituram, si emptorem in- » veniret (3). » Eadem verba Florus regis mortem narrans ita refert : « Sed ille quoque, quamvis victus » et vinctus, vidit urbem, *quam venalem, et quan-* » *doque perituram, si habuisset emptorem,* frustra » cecinerat. »

Apud Florum legitur : « Metellus suis artibus hostem aggressus est. » Quod simili modo Sallustius enuntiaverat : « Jugurtha, ubi Metelli dicta cum » factis composuit, ac se suis artibus tentari ani- » madvertit (4). »

---

(1) Sallustius, è Teubnerianâ editione, *de bello Jug.*, xiii.
(2) Id. xxxii. — (3) Id. xxxv. — (4) Id. 48.

Florus memorat : « Marium admodum copias » auxisse, quum pro obscuritate generis sui *capite* » *censos sacramento* adegisset. » Dixerat Sallustius : « Interea milites scribere, non majorum more, » neque e classibus, sed uti cujusque lubido erat, » capite censos plerosque [1]. »

Tum ad Sallustium quoque pertinent omnia quæ de urbe Capsâ Florus narrat : « Hic et urbem ab » Hercule conditam Capsam, in mediâ Africâ siti, » anguibus, arenisque vallatam mirâ quâdam felici- » tate superavit. » Sallustius enim : « Erat, inquit, » inter ingentes solitudines oppidum magnum at- » que valens, nomine Capsa, cujus conditor Her- » cules Libus memorabatur..... oppido propinqua » omnia vasta, inculta, egentia aquæ, infesta serpen- » tibus [2]. » Haud procul addit : « Non longe a » flumine Muluccha, erat inter ceteram planitiem » *mons saxeus*, mediocri castello satis patens [3]. » Quod Mulucchæ nomen graviter errans Florus urbi attribuit, sed pro rupe saxeum montem voce Sallustianâ dicit.

Inde ad bellum Catilinarium si cura transiverit, multi etiam loci, è quibus Sallustii Florus imitator apparet, nobis occurrent, inter quos nonnullos eligamus. Dixit Sallustius : « *Opprimendæ reipublicæ* » consilium Catilina cepit. In Italiâ nullus exercitus ;

---

(1) Sallustius, *de bello Jug.*, 86.
(2) Id. 89.
(3) Id. 92.

» *Cneus Pompeius in extremis terris* bellum gere-
» bat [1]. » Hæc a Floro sic repetuntur : « Catilinam
» luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei
» familiaris, simul occasio, quod in *extremis finibus*
» *mundi arma Romana peregrinabantur*, in nefaria
» *consilia opprimendæ patriæ suæ* compulere [2]. »

Refert Sallustius, ita tamen ut propior videatur non credenti, istud facinus : « Fuere eâ tempestate qui dicerent Catilinam, oratione habitâ, humani
» corporis sanguinem vino permixtum in pateris
» circumtulisse [3]. » Illud autem, omissâ omni dubitatione, Florus revocat : « Additum est pignus
» conjurationis sanguis humanus, quem circumla-
» tum pateris bibere [4]. »

Porro apud Florum legitur : « Cicero peroravit;
» sed non amplius profectum quam ut hostis eva-
» deret seque tum palam ac professe incendium
» suum restincturum ruinâ minaretur. » Quod e
» Sallustio haustum est : « « Tum Catilina furibun-
» bundus : « incendium meum ruinâ restin-
» guam [5]. »

Superest ut præcipuum locum a Floro ad verbum omnino transcriptum memorem : « Infestis, ait
» noster, ab Etruriâ signis patriam petens obvio
» Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter di-

---

(1) Sallustius, *de Catilinæ conjuratione*, xvi.
(2) Florus, ii, 12.
(3) Sallustius, xxii.
(4) Florus, ii, 12.
(5) Sallustius, *Catilina*, xxxi.

» micatum sit exitus docuit. Quem quis in pugnando
» ceperat locum, eum amissâ animâ corpore tege-
» bat. Catilina longè a suis inter hostium cadavera
» repertus est, pulcherrimâ morte, si pro patriâ sic
» concidisset (1). » Quis non agnoscat celeberrimam Sallustii narrationem ne minimo quidem modo velatam dissimulatamve : « Confectò prælio, tum vero
» cerneres quanta audacia quantaque animi vis
» fuisset in exercitu Catilinæ. Nam ferè quem quis-
» que pugnando locum ceperat, eum, amissâ
» animâ, corpore tegebat. Catilina vero longè a suis
» inter hostium cadavera repertus est (2). »

Quemadmodum opera Sallustii, ita Cæsaris commentarios in narrando Gallico bello sæpius imitatum Florum et secutum esse nunc considerandum mihi et explicandum est. Etenim, quamvis nonnunquam noster omninò a narratione Cæsaris alienus sit, tamen multas rerum verborumque similitudines facillimè reperias. Apud Florum de Helvetiis legitur : « *Petito tempore ad deliberandum*.....
» Cæsar bellicosam gentem in sedes suas quasi
» greges in stabulum pastor reduxit (3). » Ipse de se Cæsar retulit : « Legatis respondit diem se ad
» deliberandum sumpturum (4). » Hæc in epitomâ
» sequitur Cæsaris contra Belgas militantis descrip-
» tio : « Nutante in fugam exercitu, rapto fugientis

(1) Florus, ii, 12.
(2) Sallustius, lxi.
(3) Florus, i, 44.
(4) Cæsar, *de bello Gallico*, i, 7.

» è manu scuto, in primam volitans aciem, manu » prælium restituit. » Nullo modo dubitari potest quin illa è Cæsaris loco Florus hauserit talia memorante : « Scuto a novissimis uni militi detracto, » quod ipse eo sine scuto venerat, in primam aciem » processit (1). »

Eadem sunt utrique de Indutiomari morte verba. « Fortiter, ait Florus, a Dolabellâ summotus est » relatumque regis caput. » In commentariis reperitur : « Indutiomarus interficitur, caputque re- » fertur in castra. » In quinto operis sui libro » narrat Cæsar quomodo « hostis Ambiorix, collo- » catis insidiis bipartito in silvis, quum se major » pars agminis in magnam convallem dimisisset, » impedimenta Romanorum ceperit, et Cottam in » pugnâ, Quintum autem Titurium de conditioni- » bus loquentem interfecerit. » Quem locum ita Florus contraxit : « Ambiorix, insidiis in valle » dispositis, dolo perculit. Itaque et castra direpta » sunt et Aurunculeium Cottam cum Titurio Sabino » legatos amisimus. » Porro hæc refert Florus : » Quæ erat Ariovisti regis superbia! Cui quum » legati dicerent « veni ad Cæsarem » et « quis est » Cæsar? » et « si vult, veniat, » inquit, et « quid » ad illum, quid agat nostra Germania? Num ego » me interpono Romanis? »

Similis est in commentariis narratio : « Legationi » Ariovistus respondit si quid ipsi a Cæsare opus

(1) Cæsar, *de bello Gallico*, v, 58.

» esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille
» de se velit, illum ad se venire oportere : sibi au-
» tem mirum videri quid in suâ Galliâ, quam bello
» vicisset, aut Cæsari aut omninò populo Romano
» negotii esset. »

Ibidem : « Tantus, ait Cæsar, subito terror omnem
» Romanum exercitum occupavit ut non medio-
» criter omnium mentes animosque perturbaret...
» Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. »
Quod fere ad verbum Florus repetit : « Itaque tantus
» gentis novæ terror in castris, ut testamenta pas-
» sim scriberentur. » Haud aliter omnia quæ de cele-
berrimâ Gergoviæ obsidione narrat Florus, urbem
vallo sudibus et fossâ, inductoque fossæ flumine, ad
hoc castellis et ingenti loricâ circumdatam, a Cæsare
hausta esse omninò constat. Denique hic de factâ
in Britanniam expeditione Flori locus addendus est :
« Cæsar transit mirâ celeritate : quippe qui tertiâ
» vigiliâ quum Morinorum solvisset a portu, minus
» quam medio die insulam ingressus est... » Apud
Cæsarem res ita legitur : Nactus idoneam ad navi-
» gandum tempestatem, tertiâ ferè vigiliâ solvit :
» horâ diei circiter quarta Britanniam attigit. »

Hæc quidem sufficiunt ad demonstrandum quo
modo Cæsarem Florus imitatus sit. Jam autem operæ
pretium est animadvertere Florum non hos modo
secutum esse magnos rerum Romanarum scriptores,
Livium, Sallustium, Cæsarem, aliosque, quos ut
ostendamus fieri non potest. Verisimile est et sine
temeritate nimiâ proponendum non solum ad inte-

gros uberrimosque fontes, sed etiam ad rivulos, ut ita dicam, id est, ad superiores breviariorum auctores Florum accedisse. Ea enim sanè sors historiæ inter Romanos fuit, ut ferè eodem tempore, quo celeberrimi viri totam annalium seriem scribebant omnesque Romanarum rerum partes pertractabant, scriptorum novus ad easdem res in breve cogendas contrahendasque proventus exstiterit. Præterea si quis attentè historiæ ipsius historiam consideraverit, quo altius generis humani, retro respiciens, repetet annales, eò largius copiosiusque res fuisse scriptas agnoscet. Quam abundanti et largè diffuso flumine extenditur Herodoti senis illius narratio ! Moò arctior pressiorque fit apud Thucydidem, Polybium, et ipsum Titum Livium historia : quippe quæ cum fluvio iterum, sed ripis coercito, conferri haud immerito possit. Jam vero Sallustium offendes strictum et brevitate felicissimâ imprimis commendabilem. Quod ad Tacitum attinet, styli et animi summæ gravitati adeò compressam loquendi rationem addidit ut eum non sine veritate quâdam maximè inter breviatores mirabilem vir doctissimus [1] vocaverit.

Nec sine causâ factum fuit ut ad breviorem narrandi formam magis ac magis in dies historia deveniret. Etenim non jam licuit hominibus occupatis, negotiosis, omni curarum genere districtis, longas legere vel audire historicorum priorum narrationes, vatum cantibus omnino similes, velut olim, dulci

(1) Ampère, *Histoire littéraire de la France*, vol. I, chap. viii.

Ionum sub cœlo, veteres audiebant Græci in frequentissimo sacrorum ludorum apparatu festivisve concionibus, aut singuli, quo melius otiosæ et delicatæ vitæ tempus delectarent, molliter et jucundè legebant. Romanis præsertim, qui tantis occupationibus plerumque distinebantur, optimè accommodatum illud res breviter complectendi genus exstitit, non jam ut erudirentur simul et delectarentur, sed, non artis, verum utilitatis studiosi, quam citissimè et enucleatissimè tantummodo erudirentur. Quapropter Romæ satis maturè quidam floruerunt breviariorum scriptores, quorum nomina tantum ad nos pervenere, ut grammaticus ille Ateius Philologus, a quo Breviarium rerum Romanarum Sallustii causâ scriptum fuisse Suetonius memoravit. Junius quoque Brutus de Polybio epitomam composuerat et Annales C. Fannii contraxerat (1). Non igitur dubitandum est quin Velleius Paterculus Florusque, qui infra haud semel inter se conferentur, a superioribus nonnullis breviariorum auctoribus non res narrandas solum, sed externam quoque operis sui formam sumpserint. Florum autem libro, quem Velleius Paterculus de rebus Romanis composuit, aliquâ ratione usum esse, ne minimum quidem indicium invenire potui. Potius è permultis diversitatibus a Floro Velleii opus ignoratum omninò fuisse statuendum est.

Verum jam restat ut novam de Flori fontibus conjecturam arbitrio doctorum virorum et judicio

(1) Egger, *Historiens d'Auguste*, chap. III, sect. III.

breviter approbem. Nempè mihi verisimillimum videtur Marci Terentii Varronis [1] magnum opus nunc deperditum, quod *de Vita populi Romani* inscribebatur, Floro notum et utilissimum fuisse. Varro enim populi Romani quasi unius hominis vitam in ætates distribuisse primus videtur fontemque, ut opinor, emisit, undè et M. Seneca et Florus et Ammianus Marcellinus suum quisque de re eâdem locum haurire potuerunt. Imo inter se videntur aliquo modo convenire divisio Floriani breviarii ratioque quâ Varro opus suum distribuisse fertur. Etenim in primo libro bellicas fortesque Romanæ infantiæ sub regibus virtutes Varro laudabat celebrabatque. Nonne idem omninò fecit Florus? « Prima ætas, ait in proœ-
» mio, sub regibus fuit per annos ducentos et
» quinquaginta, quibus circum urbem ipsam cum
» finitimis luctatus est : hæc erit ejus infantia. »
Postquam illa in primo capite valida urbis incrementa narravit, ita concludit : « Hæc est prima ætas
» populi Romani et quasi infantia, quam habuit sub
» regibus septem, quadam fatorum industriâ tam
» variis ingenio ut reipublicæ ratio et utilitas pos-
» cebat. Quid Romulo ardentius?.... [2] » Haud aliter utrinque adolescentia vocabatur illud tempus, quo, post reges exactos, usque ad bella Punica, Italia subacta fuit. Exstant enim è secundo Varronis libro

(1) Elegantissimum doctissimumque de Varrone librum carissimi magistri mei G. Boissier mihi hanc disquisitionis partem suppeditavisse libentissimè fateor et præ me fero.

(2) Florus, I, 2.

Gallorum, Decii, Cineæ nomina. Easdem res postquam Florus tractavit : « Hæc est, ait, secunda ætas » et quasi adolescentia, quâ maxime viruit [1]. » Porro in tertio libro bella contra Pœnos a Varrone narrata fuisse accepimus : hæc est tertia illa ætas, quam, orbe domito, Florus juventutem imperii et quasi robustam maturitatem appellat. Postremo in ultimâ operis parte Varro tristes suæ ætatis eventus, bella civilia, cædes, proscriptiones, civium scelera, turpes et impias pugnas afflictus ægritudine revocavit : quippe qui jam adesse senectutem imperii arbitraretur. Nonne simile aliquid apud Florum reperimus, quum, bella civilia narraturus, exclamat : « Hactenus » populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus, » atque magnificus ; reliqua sæculi, ut grandia æque, » ita vel magis turbida et fœda, crescentibus cum » ipsâ magnitudine imperii vitiis ; adeò ut, si quis » hanc tertiam ejus ætatem transmarinam, quam » ducentorum annorum fecimus, dividat, centum » hos priores *aureos*, sicut poetæ canunt, jure meri- » toque fateatur, centum sequentes *ferreos* planè et » cruentos, et si quid immanius [2]. » In summâ, etiamsi animi pendeamus et quæstionem in dubio stare velimus, rem proponere operæ pretium est.

---

(1) Florus, I, 17.
(2) Id. I, 33.

CAPUT TERTIUM.

QUAM MALÈ OPTIMIS FONTIBUS FLORUS USUS FUERIT.

Modo Florum optimos fontes secutum esse probavimus : nunc, ut planè appareat eum non verè historicum fuisse, mihi demonstrandum est quam malè maximos rerum Romanarum scriptores excerpserit quantamque levitatem simul et inscientiam præ se tulerit. Ad id efficiendum non mihi in animo est quidquid fusè et accuratè antiqui editores pertractaverunt iterare, id est, longissimam incredibilium errorum seriem pedetentim illustrare et notare. Sin autem præcipuos in quoque genere Flori errores quam breviter indicaverim, abundè erit ut eum historici nomine indignum esse nemo non fateatur (1).

I.

In nominibus dignitatum, quibus duces virique reipublicæ sæpè celeberrimi ornati fuerunt et amplificati, gravissime Florus noster erravit.

Hæc a Floro referuntur : « Calatino dictatore ferè

(1) Ex optimis Andreæ Dukeri, quem jam prædixi, adnotationibus multa sumpsi.

» omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepanis, » Panhormo, Eryce, Lilybæoque detraxit[1]. » Calatinus autem in Siciliâ non dictator, quum lex summum hunc magistratum in Italiâ manere juberet, sed bis consul contra Carthaginienses feliciter pugnavit[2].

In enarrando tertio bello Punico hæc scribuntur : « Mancino deindè consule, terrâ marique fervebat » obsidio : operti portus, nudatus est primus et se- » quens, jam et tertius murus[3]. » Mancinum non consulem, sed legatum fuisse apud Livium reperitur.

Postquam Florus in Asiatico bello tradidit memoriæ quomodo Aristonicus, regis Eumenis nothus, Myndon, Samon, Colophona, vi recepisset, addidit ab eo Crassi prætoris exercitum cæsum ipsumque prætorem captum fuisse[4]. Non vero prætorem, sed consulem esse Crassum istum Livius memorat.

Multo graviora sunt peccata, quæ Florus in ipsius Augusti nominibus honoribusque commisit. Etenim hæc quæ falsissima sunt nobis occurrunt : « Sic » ubique una atque continua totius generis humani » aut pax fuit aut fatigatio, aususque tandem Cæsar » Augustus septingentesimo ab urbe conditâ anno » Janum geminum claudere[5]. » Verum, etiam

---

(1) Florus, I, 18.
(2) Polybius, I, 24 et 28.
(3) Florus, I, 31.
(4) Id. I, 35.
(5) Florus, II, 34.

omisso errore, quo numero rotundo Florus utitur, animadvertendum est duobus annis demum post clausas Jani gemini ædes Cæsarem Octavianum Augustum cognominatum fuisse.

De eodem principe turpius hæc narrantur.: « Ob » hæc ingentia facta dictator perpetuus [1]. » Etenim, quamvis illi dictaturam haud semel pervicaciter populus detulisset, semper eam rejecit, perpetuam imperatoris dignitatem accepisse contentus [2].

II.

Ipsorum virorum in prænominibus nominibusque sæpissime Florus errat. Aliquot luculenta referamus exempla.

Notissimos etiam homines diversos omninò confundit, veluti in hoc loco : « Aruntem filium regis » manu suâ Brutus occidit superque ipsum mutuo » vulnere exspiravit, quasi adulterum ad Inferos us- » que persequeretur [3]. » Vix intelligi potest quomodo non ab Arunte, sed a Sexto Tarquinio, Lucretiam violatam fuisse Florus nescire visus fuerit.

Sic de famoso apud Regilli lacum prælio legitur : « Dimicatum est diù marte vario, donec Postumius » ipse dictator signum in hostes jaculatus est, no- » vum et insigne commentum, ut indè raperetur.

---

(1) Florus, ii, 34.
(2) Velleius Pat., ii, 89.
(3) Florus, i, 4.

» Cossus equitum magister exuere frenos imperavit, » et hoc novum, quo acrius incurrerent [1]. » Non illum Cossum, sed T. Œbutium magistrum equitum Postumius habuit, ut apud Livium invenitur [2]. Cosso autem optimo equitum magistro dictator Œmilius Mamercus usus est.

Florus Atinium appellat generosum illum e plebe civem, qui, depositis uxore et liberis, virgines e sacerdotio Vestæ nudo pede fugientes in plaustrum recepit [3] : is vero Albinius vocabatur [4].

De Crasso contra Parthicam gentem proficiscente hæc leguntur : « Tribunus plebis Metellus exeuntem » ducem hostilibus diris devoverat [5]. » Non tamen fuit ille tribunus Metellus, sed Ateius [6].

Nec minor est Floro levitas aut inscientia, si quam historiæ Græcæ rem memorare aggreditur. Vide hunc de Calpurnio Flammâ locum : « Sic pul- » cherrimo exitu Thermopylarum et Leonidæ famam » adæquavit, hoc illustrior noster quod expeditioni » tantæ superfuit, licet nihil inscripserit sanguine [7]. » Nusquam autem reperies Leonidam apud Thermopylas aliquid cruore suo scripsisse. Scilicet confundit Florus Leonidam Othryademque, qui, in bello contra Argivos trecentorum quoque Sparta-

(1) Florus, i, 5.
(2) Livius, ii, 19.
(3) Florus, i, 7.
(4) T. Livius, x, 40.
(5) Florus, i, 45.
(6) Plutarchus, *in Crasso* c. 16 et Dio, xxxix.
(7) Florus, i, 18.

norum dux, quum mortifero ictu saucius in loco prælii jaceret, inumbrante vesperâ tropæum ex armis hostilibus excitatum sanguine suo inscripsit et mortuus est: quod Herodotus jucundissimè narravit (1).

Sæpè evenit ut duo ejusdem gentis viri Flori memoriæ occurrant: tum, propter idem gentile nomen hallucinatus, ita pronomina permiscet ut præclarissimarum personarum discrimen non jam servare valeat. Vel celeriter ejus librum evolvendo in multa istiusmodi incides. De Latino Bello scripsit: « Pervicacissimi Latinorum Æqui et Volsci fuere et quotidiani, ut sic dixerim, hostes. Sed hos præcipuè Titus Quinctius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa et pænè jam capta consulis castra egregiâ victoriâ recuperavit (2). » Quum sub idem tempus viverent ex eadem gente Titus Quinctius Capitolinus et Lucius Quinctius Cincinnatus, priori, qui sexties consul Antium, Volscorum caput, cepit, res alterius, qui dictator Minucium consulem in Algido monte ab Æquis obsessum liberavit, Florus attribuit.

Quotiescumque quemdam è Claudiâ gente virum noster offendit, statim in errorem delabitur. Appium Claudium Pulchrum appellat consulem qui bellum contra Histros gessit (3): Non tamen Appius Claudius, sed Caïus Claudius Pulcher vocabatur (4). Haud

(1) Herodotus, i, 82.
(2) Florus, i, 5.
(3) Id. i, 26.
(4) T. Livius, xli, 8.

aliter in sequente loco errat : « Appio Claudio con-
» sule non ab hostibus, sed a Diis ipsis populus
» Romanus superatus est, quorum auspicia con-
» tempserat, ab his statim classe demersâ ubi ille
» præcipitari pullos jusserat, quod pugnare ab his
» vetaretur (1). Verum nomen faceti consulis non Appius erat, sed Publius Claudius Pulcher.

Non minus graviter de Sardiniâ in secundo bello Punico victâ Florus peccavit : « Sardiniam Gracchus
» arripuit (2). » Non sanè falsum est Romanos in secundo bello Punico Sardiniâ potitos esse ; illis autem nullus Gracchus, sed T. Manlius prætor præfuit (3). Aliquot tantum annis postquam rebellasset provincia, Tib. Sempronius Gracchus, nepos illius Tib. Sempronii Gracchi, qui secundi belli Punici tempore vitam non sine gloriâ egit, rursus Sardiniam domuit (4). Propter idem nomen ambos Florus permiscuit.

Addas hunc de bello Perusino locum : « Bellum
» concitavit agrorum divisio, quod Cæsar veteranis
» patris pretium militiæ solverat. Semper alias An-
» tonii pessimum ingenium Fulvia tum gladio cincta
» virilis militiæ uxor agitabat (5). » Quam gravis sit scriptoris error facillimè agnosci potest. Etenim nemo ignorat Fulviam Marci Antonii triumviri uxorem

(1) Florus, i, 18.
(2) Id. i, 22.
(3) T. Livius, xxiii, 34 et 41.
(4) Id. xii, 9.
(5) Florus, ii, 16.

fuisse. Quem contra veteranos ducis et amici sui Julii Cæsaris ad bellum ivisse omnino falsum est. Ille qui a Fulviâ incitatus arma cierat fuit Lucius Antonius, Marci Antonii frater.

Immo nonnunquam accidit ut Florus duorum hominum nomina in unum cogeret. Pauca adscribo. « Tantum libertatis novæ gaudium incesserat, ut » Lucretiæ maritum, tantum ob nomen et genus » regium, fascibus abrogatis urbe dimitteret. Itaque » substitutus Horatius Publicola summo studio ad- » nisus est ad augendam liberi populi majesta- » tem [1]. » Quis autem est iste Horatius Publicola? Manifestum est a Floro confusos fuisse P. Valerium, cui, in locum L. Tarquinii Collatini subrogato, postea cognomen, propter tot et tanta egregiè facta, Publicolæ datum, et M. Horatium Pulvillum : Quippe qui, post mortem J. Bruti fortiter pro libertate pugnando occisi, consul una cum P. Valerio fuerit [2]. Simili peccato hæc Florus scripsit: « Aliquid » tamen adversus absentem Cæsarem ausa Fortuna. » Quippe quum fauces Adriani maris jussi occupare » Dolabella et Antonius, ille Illyrico, hic Curictico » littore castra posuissent, jam maria latè tenente » Pompeio, repentè legatus ejus Octavius Libo in- » gentibus copiis classicorum utrumque circum- » venit [3]. » Nusquam alibi illum Octavium Libonem reperies : nam ex duobus Pompeii legatis

(1) Florus, ii, 16.
(2) T. Livius, ii, 8.
(3) Florus, ii, 13.

M. Octavio et Scribonio Libone unum Octavium Libonem Florus composuit.

Postremo in contrarium errorem noster lapsus est, cujus sufficiat hoc satis speciosum exemplum. Narrat in bello Piratico, imperante Pompeio, Lentulum Libyco et Marcellinum Ægyptio mari impositos fuisse (1). Lentulus autem Marcellinus unius viri nomen est (2).

III.

Insuper Florianum opus hoc incredibili vitio inquinatur, quod sæpè res sibi adeo repugnantes occurrunt, ut aliæ aliis omnino refellantur.

Lege hunc de Tarentino bello locum: « Sequitur » bellum Tarentinum, unum quidem titulo et no- » mine, sed victoriâ multiplex. Hoc enim Campa- » nos, Apulos atque Lucanos, et caput belli Taren- » tum, id est, totam Italiam, et cum his omnibus » Pyrrhum, clarissimum Græciæ regem, unâ veluti » ruinâ involvit (3). » Compara cum illa narratione id quod sequitur: « Victor primo prælio Pyrrhus, » totâ tremente Italiâ, Campaniam, Lirim, Fregel- » lasque populatur (4). » Nonne utrumque locum legenti manifestum apparet Campaniam, si cum Tarentinis Pyrrhoque societatem fecisset, (quod fal-

(1) Florus, I, 40.
(2) Appianus, *De bello Mithr.*, 95.
(3) Florus, I, 13. — (4) Id.

sum est), nihil habuisse cur, a rege socio et amico territa, igni et ferro vastaretur?

De Saluviis Florus refert : « Saluvios Postumius » ita exarmavit ut vix reliquerit ferrum quo terra » coleretur [1]. » Quid ergo sibi volunt hæc de eodem populo posteriora verba? « Prima trans Alpes arma » nostra sensere Saluvii, quum de eis fidissima atque » amicissima civitas Massilia quereretur [2]. » Oblitus anterioris loci, memorat (quod verum est) demum in Allobrogum bello Saluvios domitos fuisse.

Item legitur de bello Punico secundo : « Ecce » alterum bellum, minus quidem spatio — nec » enim amplius decem et octo annis habet — sed » atrocitate terribilius [2]. » Quibus verbis valdè repu- » gnat hic locus : « Mithridates longè omnium maxi- » mus. Quippe quum quatuor Pyrrho, tredecim » Annibali anni suffecerint, ille per annos quadra- » ginta restitit [3]. »

IV

Nunc ad incredibilius etiam peccatorum errorumque genus veniamus, de quo quam brevissimè hic loqui mihi in animo est, quum de eo jam in primo disquisitionis meæ capite, O. Jahnii vestigiis insistens, disputaverim. Etenim tam leviter fontibus suis Florus uti solebat, ut, quum in rebus Romanis

(1) Florus, I, 36. — (2) Id., I, 22. — (3) Id., I, 39.

usque ad ætatem Augusti referendis eos auctores secutus sit, qui eis ipsis temporibus vixerunt, ea quoque transcripserit quæ Augusti quidem tempore vera erant, tamen tempore Trajani Hadrianique, quo ipse fuit, falsissima (1).

Quum Varianam cladem narrat, dicit : « Signa et aquilas duas Barbari adhuc possident (2). » Tacitus autem scripsit L. Stertinium Tiberio imperante undevicesimæ legionis aquilam apud Bructeros reperisse, et Germanicum apud Marsos in luco feliciter alteram eruisse (3) : quod planè Dio Cassius confirmat (4).

Quam incogitanter hæc de Campaniâ Florus scripsit : « Hic amici vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompei... (5). » Quum Vesuvium Ætnæi ignis imitatorem vocet, se incendium rupto montis vertice effusum miserumque urbium interitum novisse testatur : attamen, dum è veteri quodam scriptore Campaniæ descriptionem haurit, Herculaneum et Pompeios quasi etiamnunc exstent commemorat.

Addas hunc toties controversum a cunctis editoribus Flori locum : « Idem tunc Fæsulæ quod

---

(1) O. Jahn in præfatione, xlvi.
(2) Florus, ii, 30.
(3) Tacitus, *Annales*, ii, 25 et i, 60.
(4) Dio Cassius, ix, 8.
(5) Florus, i, 11.

» Carræ *nuper*, idem nemus Aricinum quod Her-
» cynius saltus, Fregellæ quod Gessoriacum, Tiberis
» quod Euphrates (1). » Ad Carras Crassus, ut ipse Florus narravit (2), periit in Parthico bello et miserabili strage deletus fuit exercitus : nuperam tamen eam cladem noster dixit. Quare omnes critici grammaticique in vocabulo *nuper* certatim argutantur : quod vanum et inutile est, quum appareat Florum, semper levitate eâdem usum, tanquam nupera revocasse quæ hujus ætatis sunt quam ultimam descripsit.

V

Jam vero in rebus chronologicis Florum computandi temporis ignarum et incuriosum ostendamus. In hâc quæstione primum animadvertendum est præclarissimos etiam rerum antiquarum scriptores, quum majora temporum spatia tractarent, quo facilius memoriâ retinerentur, numeris rotundis usos esse. Florus autem hanc viam assuetæ levitati accommodatam adeò usque ad satietatem secutus est, ut rotundis istis numeris, etiam quum de brevissimis spatiis ageretur, uti soleret : quod omninò pravum et mendosum esse manifestum est.

Ita de Samnitico bello scripsit : « Hos tamen
» quinquaginta annis per Fabios ac Papirios patres
» eorumque liberos ita subegit ac domuit, ita ruinas

(1) Florus, I, 5. — (2) Id., I, 45.

» ipsarum urbium diruit, ut hodiè Samnium in ipso » Samnio requiratur [1]. » Samniticum vero bellum (411-464) quinquaginta tres annos complectitur. Haud aliter in Mithridatico bello narrando peccat : « Mithridates, omnium longè maximus : quippe » quum quatuor Pyrrho, tredecim anni Annibali » suffecerint, ille per quadraginta annos restitit [2]. » Appianus autem quadraginta duos [3] et Justinus quadraginta sex annos [4] regem contra Romanos pugnavisse memorant. Quod ad Annibalem ipsum attinet, jam vidimus quam graves in computando secundi belli Punici tempore Florus errores commiserit. Quamvis rectè Livius viginti tres annos a fine primi belli Punici usque ad initium Annibalis imperii numeret, quatuor tantum annorum spatium inter ambo bella intercessisse Florus profitetur [5]. Adjice quod tredecim annos Hannibali suffecisse falsissimè narrat : hoc enim bellum, ut ipse Florus dixit, amplius decem et octo annos habuit [6].

Item in procemio rotundis semper et absurdis sæpe numeris, ut in primo operis nostri capite jam monstravimus, usus est. Non autem in his hærere debemus : adeò enim a librariis apertè corrupti sunt ut ferè omnes Flori editores contra optimorum codicum auctoritatem manifesta ista vitia suo quisque modo emendaverint. Verum enim vero « metachro-

---

(1) Florus, I, 11. — (2) Id., I, 39.
(3) Appian., *Mithrid.*, c. 118.
(4) Justin., xxxvii, 1.
(5) Florus, I, 22. — (6) Id.

» nismos prochronismosque, » ut parum latinè Rupertus ait, apud Florum frequentissimos editores vel amicissimi neque dissimulare neque corrigere potuerunt. Nempè magnus locorum, ubi istiusmodi peccata in aperto sunt, numerus est. Conspicua quædam adscribo exempla. Bellum Latinum, in quo Decius Mus consul capite velato primam ante aciem Dis manibus se devovit, bello Samnitico anteponit (1) : quod falsum est, quum è Samnitico bello Latinum bellum ortum esse nemo non ignoret. Item, quamvis bellum Creticum sexaginta annis post Balearicum bellum actum sit, priori ulterius præponitur (2). Imo in celeberrimâ Perusini belli historiâ turpissimè Florus errat. Bello enim contra Brutum Cassiumque, Julii Cæsaris interfectores, gesto Perusinum illud bellum anteponitur (3); attamen paulo post prælium ad Philippos factum è divisione agrorum, quos veteranis militiæ pretium triumviri victores tribuerunt, exortum est. Postremo in memoriam revocandum est quot et quanti fuerint in numerandis Augusteæ ætatis temporibus Flori errores chronologici. Negligens est in signando tempore, quo primâ vice Janus clausus fuerit; negligens in variis Augusti nominibus secundum tempora adhibendis; plurima contra Alpinas gentes bella omninò miscet et confundit; Varianam cladem suo loco movet (4).

Nec minoribus geographicis erroribus libri Flori inquinantur : quippe qui sæpius in locorum nomi-

(1) Florus, i, 9. — (2) Id., i, 41. — (3) Id., ii, 16. — (4) Id., ii, 30.

nibus situque tam graviter peccet ut illius inscientia vel a pueris derideatur. Etenim etiam in Italiâ describendâ tam absurdè dicta reperias, ut critici quidam ex istis erroribus Florum in Italiâ non vixisse temerè, ut opinor, concludere non dubitent. Ut exempla referam, hæc de Tarentino bello narrata videbis : « Apud Heracleam Campaniæ fluviumque » Lirim Lœvino consule prima pugna, quæ atrox » fuit [1]. » Tamen Heraclea Tarentinorum colonia, non Campaniæ, sed Lucaniæ fuit oppidum, neque apud Lirim cum Pyrrho Romani pugnaverunt. Ille enim fluvius, nunc Garigliano dictus, è regione Marsorum oriundus, per Fregellas, antiquam urbem Volscorum, fluebat, Campaniæ Latiique terras limitabat, et mari Tyrrheno non procul a Minturnis illabebatur. Patet vero apud Sirim, amniculum Lucaniæ, prælium commissum fuisse : propter nominum similitudinem ambo flumina Florus confudit.

Rutulorum, Umbrorum, Œquorum, Volscorum urbes vel in primis Italorum contra Romanos bellis narrandis Latinas esse sine delectu memorat [2], ita ut ab illo prisci et adjecti Latii discrimen ignoratum fuisse manifestum appareat. Multos alios istiusmodi in Italiâ describendâ errores non opus esse arbitror ut referam, quum minoris momenti sint, vel a librariis ita loci corrupti videantur ut a benevolo lectore Florus ignorantiæ crimine liberari possit. Ipsum autem in Florum reprehensio non cadere non potest,

(1) Florus, I, 13. — (2) Id., I, 2.

quum hæc de celeberrimâ contra Antiochum regem apud Magnesiam pugnâ narret : « Mæandrum ad » amnem montemque Sipylum castra ponuntur [1]. » Nempè duas ejusdem nominis Lydias urbes, Magnesiam ad Mæandrum, et Magnesiam illam, ubi victus fuit ab Asiatico Scipione rex Antiochus, ad Sipylum montem Hœrmumque fluvium sitam, nullo modo discrevit. Nec venia Floro danda est quod hæc in civili Cæsaris et Pompeii bello scripsit : « Sic præ» cipitantibus fatis prælio sumpta Thessalia est, et » Philippicis campis urbis, imperii, generis humani » fata commissa sunt [2]. » Philippos enim, urbem Macedoniæ, dum in Thessaliâ sitos esse refert, in talem errorem labitur, ut etiam apud Virgilium, quamvis licentiæ poeticæ multa concedenda sint, doctissimis viris vix tolerandus haud immeritò esse videatur [3]. Nec rectius Danuvii fluminis situm Florus noverat : « Didius, inquit, vagos et liberâ popu» latione diffusos intra suam reppulit Thraciam. Dru» sus ulterius egit et vetuit transire Danuvium. » Magnum amnem illum, qui Thraciam è Daciâ dirimit, quasi inter Thraciam et Macedoniam ponere omninò mendosum et puerile est. Ceterum jam animadvertimus septentrionalium regionum incredibilem inscientiam apud Florum manifestò cognosci, quum non sine quâdam formidine nimium credulâ horridam cœli duritiam, immensa spatia, tristia

(1) Florus, i, 24. — (2) Id., ii, 13.
(3) Egger, *Examen des hist. d'Auguste*, ch. vii, sect. ii.

omni genere locorum impedimenta, sylvas inextricabiles, flumina æterno concreta gelu, nivosos fabulosæ altitudinis montes, in majus augere soleat, et populos immanes, sævissimis animalibus sæviores, sic effingat ut pueros terrificet, hominum vero frontem ad risum transferat, veluti in hoc loco : « Quæ fuerit Alpinarum gentium feritas, facile vel » per mulieres ostendere, quæ, deficientibus telis, » infantes ipsos afflictos humi in ora militum ad- » versa miserunt [1]. »

VI.

Satis, ut opinor, ex istâ peccatorum et errorum longâ serie quantæ fuerint Flori levitas et inscientia jam constat : attamen, ut omninò in aperto sit judicium illi et diligentiam abjudicanda esse, ultimum vitium illustrandum notandumque nobis superest. Etenim ei nimio brevitatis studio sæpius accidit ut res personasque etiam in opere quam maximè contracto necessarias omitteret. Nusquam apud Florum nomen invenies Mæcenatis illius, cujus breviter sanè, sed enucleatè et quantum satis est, mentionem ita Velleius Paterculus fecit : « Tunc Urbis cus- » todiis præpositus C. Mæcenas, equestri, sed » splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exi- » geret, sane exsomnis, providens atque agendi

(1) Florus, ii, 22.

» sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti pos-
» set, otio ac mollitiis pœnè ultra feminam fluens,
» non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus ho-
» noratus; quippe vixit angusti clavi fine contentus
» nec minora consequi potuit, sed non tam concu-
» pivit...[1] » Idem Velleius memoravit quomodo Tiberius, Augusti patris legatus, in bello Delmatico magna virtutis experimenta dederit[2]; Florus autem jure reprehenditur quod illam Tiberii contra Delmatiæ populos expeditionem commemorare omisit.

Quin etiam, propter idem nimium historiæ contrahendæ studium, vel quum in rei cujusdam relatione celeberrimum scriptorem, ut Sallustium aut Titum Livium, apertè sequitur, rem illam adeò curtatam mutatamque incredibili negligentiâ transcribit, ut non falsa tantum, sed inepta quoque et absurda fiat. Lege apud Cæsarem quomodo pugna contra Ariovistum narretur : « Reperti sunt com-
» plures milites nostri, qui in phalangas insilirent
» et scuta manibus revellerent et desuper vulne-
» rarent. » Quod facilè intelligitur. Nunc autem vide quomodo res a Floro memoretur : « Qui calor
» in prœliando militum fuerit, nullo magis exprimi
» potest quam quod, elatis super caput scutis quum
» se testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani
» scuta salierunt, et indè in jugulos gladii descen-
» debant[3]. » Quis non agnoscit rem ita mutatam

(1) Velleius Paterculus, ii, 88.
(2) Id. ii, 96.
(3) Cæsar, *De bello Gallico*, i, 52. — Florus, i, 44.

omninò veritati rationique repugnare? Quid sibi volunt isti milites scutis, in quæ, quamvis obliqua, salierunt, firmiter insistentes? Cur res, quam a nonnullis tentatam fuisse Cæsar narrat, in omnem exercitum ita vulgatur?

Apud Titum Livium legimus plebem adversus decemviros, Virginio duce, primum in Aventinum et indè in sacrum montem a patribus decessisse : Florus autem : « Virginius, ait, admotis signis com- » militonum totam eam dominationem obsessam » armis in carcerem et catenas ab Aventino de- » traxit[1]. » Cur sacri montis memoriam omitteret nulla causa fuit nisi semper idem nimium brevitatis studium. Indè quoque fit ut tam falso mirificoque modo Antonii et Cleopatræ mortem referat. Quum videlicet longum fuisset dicere quomodo Antonius se ipse non segniter interfecerit, et Cleopatra, frustratis custodibus, illatâ aspide, in morsu sanieque ejus[2], expers muliebris metûs, spiritum reddiderit, ita rem expedit : « Maximos, ut solebat, » induta cultus in referto odoribus solio juxta suum » se conlocavit Antonium, admotisque ad venas » serpentibus sic morte quasi somno soluta est[3]. »

VII.

Abundè, ni fallor, probavimus judicium Floro dili-

(1) Florus, i, 17.
(2) Velleius Paterculus, ii, 87. — (3) Florus, ii, 21.

gentiamque, quibus deficientibus nunquam virum vère historicum esse reperias, omninò defuisse. Nunc autem, ut vel per criticos breviario maximè faventes Florum ex historicorum albo nobis eradere liceat, restat ut demonstremus fidem, virtutem illam ceteris etiam utiliorem, radicitus apud illum desiderari. Quoties enim veritatem ex industriâ depravaverit cui non apparet et in promptu est? Quum populi Romani non annales, sed panegyricum, quales alii rhetores singulorum imperatorum scripserunt, composuerit, ut infrà planius ostendere conabor, omisso omni religionis fideique studio, res a Romanis gestas, impedimenta fracta, objices ruptos, hostium perdomitorum opes et potentiam et vires, deditâ operâ ultra modum in majus augere solet. Exempla, quæ res postulat, expleta cumulataque ut habeamus vix quidquam negotii est. Titus Livius regis Antiochi in pugnâ ad Sipylum montem commissâ exercitum sexaginta duo millia peditum, plus duodecim millia equitum fuisse tradit (1). Omnia apud Florum mirum in modum crescunt et amplificantur, ut Romanorum triumphus illustrior videatur et celeberrimas Græcorum victorias superet : « Hic rex (incredibile dictu) quibus auxiliis, quibus » copiis, consederat. Trecenta millia peditum, » equitum falcatorumque curruum non minor nu- » merus. Elephantis ad hoc immensæ magnitudinis, » auro, purpurâ, argento, et suo ebore fulgentibus

(1) Livius, xxxvii, 37.

» aciem utrinque vallaverat (1). » Simul declamatorio tumore Persas et Orientem, Xerxem atque Darium, perfossos montes invios, velis opertum mare revocat, et deindè exclamat : « Ne sibi placeant » Athenæ! In Antiocho vicimus Xerxem, in Œmilio » Themistoclem œquavimus; Ephesiis Salamina » pensavimus (2). » Dum hæc vibrantia et sesquipedalia verba profert, voluntas ei fidem historicam corrumpendi demonstratur adesse : quippe qui longè multumque superet

Quidquid Græcia mendax
Audet in historiâ (3).

Porro in eam Florus se consuetudinem adduxit ut consultò regum populorumque clades duplicaret. Hæc de Pyrrho memoravit : « Rege postea bis exuto » castris, bis saucio, et in Græciam suam trans » mare ac terras fugato, pax et quies et tanta de » opulentissimis tot gentibus spolia ut victoriam » suam Roma non caperet (4). » Tertium tantummodo post prælium non bis, sed semel Pyrrhum castris exutum esse Livius aliique scriptores testantur. Iisdem ferè verbis eamdem rem de Philippo Florus scripsit : « Bis victus, bis fugatus rex, bis exutus » castris (5). » Quemadmodum Pyrrhum, ita Macedonum regem bis castris exutum esse nusquam Flo-

(1) Florus, I, 24. — (2) Id.
(3) Juvenalis, x, 175.
(4) Florus, I, 13. — (5) Id., I, 23.

rus invenit, sed ex industriâ finxit. Item, quo terribilior Romana victoria post atrox longumque bellum videretur, hæc de Numantiâ captâ scripsit : « Oppressa civitas nullum de se gaudium hosti re- » liquit. Unus enim vir Numantinus non fuit qui in » catenis duceretur [1]. » Appianus autem, qui magis curat utrum vera sint, quæ tradat, necne, nonnullos miseræ urbis cives se dedisse et triumphantis Scipionis currum secutos esse narravit [2].

In hoc quoque sciens prudensque Florus peccat quod, quotiescumque populus Romanus in victos durius et inclementius animadvertit, hostium immanitatem enormiter augere solet, ut nimia crudelitas excusetur. In Illyrico bello narrando Florus hæc retulit : « Legatos nostros, ob ea quæ deliquerant » jure agentes, ne gladio quidem, sed ut victimas » securi percutiunt, præfectos navium igne com- » burunt [3]. » Nusquam alias, neque apud Polybium neque apud Appianum, qui rem memoravere, tantam barbariem fuisse comprobatur : tantummodo legatos interemptos fuisse accepimus [4]. Ergo probabile est Florum in istiusmodi suppliciis describendis acquievisse, quo tolerabilius lectori videretur sequens illud : « Cneo Fulvio Centimalo duce latè » domantur. Strictæ secures in principum colla lega- » torum manibus litavere [5]. » Simili modo, ut opi-

(1) Florus, I, 32.
(2) Appianus, *De rebus Hispaniæ*, c. 97.
(3) Florus, I, 2.
(4) Polybius, II, 8. — Appianus, *De rebus Illyricis*, c. 7.
(5) Florus, I, 22.

nor, et similem ob causam Thracum immanitatem adaugere Florus videtur : « In Adriaticum mare us-
» que venerunt; eoque fine retenti, quasi interve-
» niente naturâ, contorta in ipsas aquas tela mise-
» runt. Nihil interim per id omne tempus residuum
» crudelitatis fuit in captivos sævientibus : litare
» Dis sanguine humano, bibere in ossibus capitum,
» cujusquemodi ludibriis fœdare mortem tam igni
» quam fumo, partus quoque gravidarum mulierum
» extorquere tormentis [1]. » Ita, credo, ad reliqua verba lectorum animos comparare voluit : « Non
» aliter cruentissimi hostium quam suis moribus
» domiti. Quippe in captivos igni ferroque sævitum
» est; sed nihil barbaris atrocius visum est quam
» quod abscisis manibus relicti vivere superstites
» pœnæ suæ jubebantur. » Denique, ut ultimum ejusmodi exemplum proponamus, hostium populi Romani crudelitatem ea augent, quæ de Cannensi pugnâ narrantur : « Duo maximi exercitus cæsi ad
» hostium satietatem, donec Annibal diceret militi
» suo : parce ferro [2]. »

Quin etiam hoc, quod multo gravius est et declamatoriæ linguæ propium, severè apud Florum reprehendendum est, quod ficta promere non dubitat, dum sententiolam quamdam vibret aut aliquid acutè et rhetoricè dicat. Quid ad probandum illud melius esse potest quam turpissimus hic error, de quo supra jam disputavi : « Aruntem filium regis manu

(1) Florus, I, 38. — (2) Id., I, 22.

» suâ Brutus occidit superque ipsum mutuo vul-
» nere exspiravit quasi adulterum ad Inferos usque
» persequeretur [1]. » Nempè mihi probabile vel potius certum videtur Aruntem et Sextum Tarquinium a Floro ex industriâ confusos fuisse, ut elatum istud et benè sonans scriberet : « Quasi adulterum
» ad Inferos usque persequeretur. »

Item, ut majore cum misericordiâ fortunam Pompeii fugientis infelicem pingeret, rem ita narravit : « Et
» peractum erat bellum sine sanguine, si Cæsar Pom-
» peium Brundusii opprimere potuisset. Et ceperat :
» sed ille per obsessi claustra portus nocturnâ fugâ
» evasit. Turpe dictu ! Modo princeps patrum, pacis
» bellique moderator, per triumphatum a se mare
» lacerâ et pœnè inermi navi fugiebat [2]. » Quod falsum esse Florus non ignorabat, quum Pompeius, ut Cæsar ipse retulit [3], maria tenens, plurimas naves secum abduxerit. Isti quoque contraria contrariis opponendi declamatoriæ consuetudini, veritate omissâ, cedebat, quum ita Mutinense bellum referret : « Octavius Cæsar, et ætate et injuriâ favo-
» rabilis, et nominis majestate quod sibi induerat
» revocatis ad arma veteranis, privatus — quis cre-
» deret ? — consulem aggreditur [4]. » Ceteri autem Augusti rerum scriptores memoravere Cæsarem Octavianum pro prætore una cum consulibus desi-

---

(1) Florus, I 4. — (2) Id., II, 13.
(3) Cæsar, *De bello civili*, I, 28.
(4) Florus, II, 15.

gnatis, Hirtio et Pansa, bellum adversus Antonium gerere jussum esse (1).

VIII.

Ergo, ut summatim quæ de Flori tot et tantis erroribus dicta sunt complectar, constituimus judicium et diligentiam et fidem ipsam omninò illi abjudicanda esse. Quapropter scriptorem tam levem mendosumque nullo modo dignum esse qui verè historicus nominetur jurè ac merito nobis concludere licet. Quæ res quum ita sit, in reliquâ commentationis parte superest ut Floro inter ætatis suæ rhetores locum attribuamus, librumque ejus non jam velut historiam, sed declamatorium opus attentè perspiciamus.

---

(1) Dio Cassius, xlvi, 29. — Velleius Paterc., ii, lxi.

CAPUT QUARTUM.

QUIBUS ÆTATIS SUÆ RHETORIBUS FLORUS ANNUMERANDUS SIT.

DE HISTORIA DECLAMATORIA.

Quum, Augusto mortuo, Tiberius imperium auspicaretur, quemadmodum respublica radicitùs conversa fuerat, ita Romanæ eloquentiæ ceterisque simul litterarum generibus maxima commutatio rerum exstiterat (1). Etenim cur iis, quos Augusteæ ætatis scriptores vocare solemus, inest pura illa et placida pulchritudo, inhærent quasi propriæ veneres illæ candidæ et integræ, quarum gratiâ boni in primis orientia tempora, ut Flaccus ait, qui formarent semper digni fuere? Cur contra qui eos secuti sunt, quamvis nonnulli eximium ingenium et excellens sortiti sint, ab illâ mirâ et aureâ modestiâ maturiùs abhorruerunt? Quos degenerasse adeò manifestum etiam a principio et apertum fuit, ut optimi inter æquales viri litteras esse corruptas arbitrarentur nec fateri dubitarent. Jam Tiberio imperante Velleius Paterculus non potest temperare sibi quin quas ob causas deflorescant litteræ quærat et dijudicet: « Ut » primo, inquit, ad consequendos, quos priores du-

(1) Hoc obiter, sed vividè tractavit latinarum litterarum sagacissimus interpres, C. Martha (*Revue européenne*).

» cimus, accendimur, ita, ubi aut præteriri aut » æquari eos posse desperavimus, studium cum spe » senescit, et, velut occupatam relinquens materiam, » quærit novam (1). » Patet verò interpretationem istam falsam esse et inanem et scriptore in obsequium prono dignam : quippe qui, ne aliquid de principis omnipotentiâ delibare videatur, ut tractet vulnera non committat.

Haud aliter Quintilianus Pliniusque junior quibus gradibus diminuta sit eloquentia sciunt dolentque, causas cur in tantum ab arte antiquorum æquales recesserint requirunt, et ut revirescat sanum validumque Ciceronianæ eloquentiæ robur summis viribus laborant. Quum autem scholasticis exercitationibus et præceptis semper nimium affixi sint, temerè credunt rhetoricam tantummodo melius discendam ab adolescentulis esse, ut eloquentia servetur aut reviviscat. Mali quoque primam labem et originem Seneca philosophus haud semel requirit : quum autem ante omnia vivendi præceptor quæstiones quæ ad mores pertinent agitet et de officiis præcepta tradat, solum è corruptis moribus eloquentiæ corruptionem profluere credit et dictitat. Ego verò Senecæ non assentior, ratus mores non magis apud Ciceronis quam Quintiliani æquales corruptos esse, non pejores Tiberii vel Neronis quam Marii vel Sullæ, Catilinæ vel Clodii assentatores et amicos, non luctuosiores Juvenalis aut

(1) Velleius Paterculus, I, 7.

Taciti quam Sallustii de corruptione morum querelas. Quin etiam opinio nostra propensior est in doctissimos viros qui, in contrarium disputantes, Nervæ et Trajani ætatem Julii Cæsaris et Augusti tempore melius moratam esse contendunt [1].

Sin autem è C. Tacito percontationem fecerimus cur in tantum paulatim Romana ingenia decrescere visa sint, et, Augusto imperante, continuò eloquentia cœperit

In pejus ruere ac retro sublapsa referri.

statim vera, ut opinor, causa nobis occurret. Tacitus enim, quum non solum majore sagacitate, sed audaciore etiam animo uteretur, omissâ omni velandæ vel mitigandæ sententiæ curâ, professus est propter mutatum reipublicæ statum litteras mutatas esse, et, oppressâ in Urbe libertate, è foro detractâ orandi facultate, quum curia elinguis et rostra muta essent, succubuisse simul dicendi vim et Romanam eloquentiam. Nempè, postquam peritior Augustus, pacatâ republicâ, forum illud, veram et unicam magnæ eloquentiæ scholam, silere jussit, in urbe, ubi de rebus publicis disputare jam non licuit, rhetorum officinæ in dies auctæ et amplificatæ sunt. Tum naturâ mox accidit ut populum otiosum degeneremque, sed politum omnisque exquisitæ et elegantis oblectationis cupidum, acutissimi rhetores pellicerent.

(1) Vide G. Boissier, *Religion romaine*, vol. II, chap. 3.

Illi autem non recens, sed jamdudum in urbe florebant, ex quo, quum Græcia capta ferum victorem cepisset et artes intulisset agresti Latio, sophistarum disciplinis Romani exerciti fuere et imbuti. Quorum in scholis ante Ciceronem *theses* agebantur; quod genus complectebatur virtutum ac vitiorum, paupertatis, divitiarum, et ceterarum similium rerum laudationes vituperationesque, præclara dicta, narrationes, apologos, quæstiones è philosophiâ morali desumptas, disputationes de fabulis et historiis habitas, orationes ad amplificanda vel minuenda cujusvis rei commoda aut incommoda compositas (1). Nec latinè modo, sed sæpius etiam græcè juvenes ita exercebantur, ut memorat ipse M. Tullius : « Continebar, inquit, doctissimorum hominum auc- » toritate, qui existimabant græcis exercitationibus » ali melius ingenia posse. » Ciceronis autem tempore novis rebus scholæ mutatæ sunt : etenim, ut scholasticus labor forensibus præliis assimilaretur et umbratilibus studiis tanquam pugnæ simulacris quibusdam ad vera discrimina juvenes assuescerent, placuit haud immeritò his priorum ludorum causis utilius exercitationum subjicere genus : quippe quæ vel ex historiis traherentur, vel ex veritate ac re, si qua fortè recens accidisset. Quod refert Seneca rhetor : « Declamabat Cicero, inquit, non quales » nunc controversias dicimus, nec tales quidem

(1) Senecæ rhetoris *Controversiarum* liber primus in procemio.

» quales ante Ciceronem dicebantur, quas theses » vocabant [1]. » Verùm non in scholis modo inter adolescentulos tironesque, sed quoque inter viros, etiam quum plurima in foro stipendia fecissent et magni oratores haberentur, declamare domi solitum erat, ut ipse Tullius *in Bruto* refert : « Commenta- » bar declamitans sæpè cum M. Pisone, et cum » Cn. Pompeio, aut cum aliquo quotidiè : idque fa- » ciebam, multum etiam latinè, sed græcè sæpius. » Et filius Marci Tullii, patris secutus exemplum, scribit ad Tironem suum se declamitare græcè apud Crassum constituisse, latinè autem apud Brutum exerceri velle. Ut se delectarent et etiam ante prælium exercerentur, maximi reipublicæ cives ita declamabant. Ipsum Cn. Pompeium, quum maximis jam honoribus cumulatus in republicâ vigeret, quo facilius C. Curioni causam Cæsaris defendenti responderet, domi diligenter declamasse accepimus. Item adversus Ciceronem dicturus Hortensius, in eumdem Antonius, cæteraque ejus sæculi lumina fecerunt. Quin etiam usitatum erat ut veras causas jam tractatas exercitationis causâ suo modo iterum tractarent aut auditas refellerent [2]. Ne Mutinensi quidem bello usum declamandi Cæsar Octavianus omisit [3], et quum, oppressâ jam armis civilibus Româ, silerent in foro publicæ causæ, libertatis

(1) Senecæ rhetoris *Controversiarum* liber I, in præfatione.
(2) Quintiliani *Inst.*, X, I, 23.
(3) Vide Suetonium.

amissæ desiderium senior Cicero declamando solabatur, ut ipse haud semel memoravit : « Hirtium, » inquit, et Dolabellam dicendi discipulos habeo... [1]. » Et rursum : « Veniunt qui me audiant, » quasi doctum hominem, quia paulo sum, quam » ipsi, doctior [2]. »

Sed, postquam periit Cicero simulque mortua est eloquentia, sub Augusto principe non jam clari in foro oratores, sed acuti in multiplicatis scholis rhetores otiosos neque rempublicam curantes adolescentulos informavere. Tum ventum est ad controversias, vel, græco nomine, scholasticas : « Modo » nomen hoc prodiit, ait Seneca rhetor; nam et » studium ipsum nuper celebrari cœpit. Ideo facile » est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam [3]. » Nunc enim declamatio, quæ nuper in urbe liberâ ad virilem publicarum causarum eloquentiam quasi via tantum erat, sibi ipsi propositum et finis est. Non primum modo, sed unicum etiam locum occupat, quum prompta in servitium et effeminata magistrorum et discipulorum ingenia in materias a veritate et usu forensi abhorrentes velut ad inania simulacra et mera somnia deflexerint. Quam novam artem non incallidè Cæsar Augustus ceterique principes foverunt, eamque maximis auctibus crescentem ope omnipotente aluerunt et in

---

(1) *Epistol.*, IX, 17.
(2) *Epist.*, IX, 20.
(3) SENECÆ rhetoris *Controv.*, I, in præfatione.

dies amplificaverunt : quippe qui intelligerent talibus ludis et oblectationibus cives omnes de antiquæ libertatis desiderio rerumque publicarum curâ deduci, nedum ita securitas imperatoria turbaretur. Quapropter ipsi Augusto, quum aliquando his rhetorum scenis adesset, non erat fastidio ingeniosissimis declamatoribus tanquam comœdis et citharœdis plaudere.

Indè non solum imminuta eloquentia, sed omnia litterarum genera in pejus mutata sunt. Nempè olim, quum in curiâ et in foro de maximis reipublicæ commodis liberè et audacter disputare liceret, propter eximias oratorum materias, ipsam incredibilem rostrorum majestatem, dicendi vi et facultate petitos et conservatos honores, eloquentiæ artibusque ceteris, quæ ex illâ profluere solent, gravitas inerat et dignitas et altitudo : etenim, ut vinceret orator, ratione fidem auditoribus facere et eorum animos veris affectibus commovere cogebatur. Quum autem omnis in civitate liberâ vox oppressa est, et ipsi senatores in servitutem ruere cœperunt, rhetores unici fuere magistri, quos non minore studio degeneres Romani frequentaverunt, quam nuper, ut Ciceronem audirent, concurrebant. Sic olim Athenienses, exstincto Demosthene et ceteris qui de eloquentiæ palmâ contenderent, amissâ simul libertate, Demetrio Phalereo fruebantur. Tum ergo animos neque commovere neque persuadere oportet, sed auribus blandiri, mentesque sermonibus exquisitissimis et vulgaria consuetaque fastidientibus vel

inanibus ac pœnè scurrilibus jocis delectare præcipuum et etiam unicum est. Jam non pectus, sed linguæ et ingenii mira venditatio disertos facit; exigitur ab oratore poeticus decor [1], pœnè jam quidquid dicitur figura est. Lege clarissimos declamatores : quot occurrunt sesquipedales sonoræque voces; quot verborum præstigiæ! Nata est nova lingua adeò fucata et fragosa et turgida, ut ipse Porcius Latro, « declamatoriæ virtutis unicum exemplum [2], » non latinè, sed suâ linguâ disertus esse Messalæ Corvino haud immeritò videretur [3]. Idem, vir magnæ sagacitatis et latini sermonis observator diligentissimus, dicebat : « Quum declamo, » id quod bellissimè Censorinus aiebat de his qui » honores in municipiis ambitiosè peterent, videor » mihi in somniis laborare [4]. »

Hi tamen rhetores, unici juventutis præceptores et magistri, adeò omnes disciplinis suis imbuerunt, ut illius temporis scriptores vel maximi è jugo eorum se vindicare non semper potuerint et sæpè vitiis scholam redolentibus inquinati sint et corrupti. Ut unum, sed luculentissimum referamus exemplum, in ipso Corn. Tacito, scriptorum tamen historiæ gravissimo, viro omnium æqualium facilè principe, quot sensus et verba declamantem sapiunt! Nonne enim pictor ille coloribus immodicis utitur, exqui-

(1) *De oratibus* dialogus, xx.
(2) Senecæ rhetoris *Controv.*, i, in præf.
(3) *Ibid.*, *Controv.*, 12.
(4) *Ibid.*, Excerpt., *Controv.*, i, iii, præf.

sitius inconvenientia jungere et contraria contrariis opponere solet? Nonne meritò concisa et obscura brevitas, quæ res quasi per ambages jacit, et inexpectata orationis lumina, quæ quasi oculos perstringunt, declamatoria vitia aliquando videntur? Quin etiam imprimis, ut opinor, rhetorum palæstram ludumque redolent et inter meras declamationes referendæ sunt quædam Annalibus et Historiis à Tacito inculcatæ conciones vel sententiæ, quarum similes è controversiis suasoriisque facilè hauriantur (1).

Quod si vir tam incredibili ingenio, quia furtim rhetorum in præcepta rursus interdum delabitur, a vero scribendi more et insitâ austeritate suâ paulum declinasse haud semel videtur, minores ætatis ejusdem scriptores omnibus declamatoriis vitiis etiam atque etiam indulsisse quis miretur? Hi enim, magistrorum artibus, etiam quum non jam in incude studiorum ponerentur, serviliter et in perpetuum inhærentes, extra scholæ muros scholam ipsam, ut ita dicam, transtulerunt. Adolescentuli apud rhetores declamabant et « tyrannicidarum præmia, aut » vitiatarum electiones, aut pestilentiæ remedia, aut » incesta matrum, ingentibus verbis persequebantur (2) » : nunc autem juvenes virique et etiam senes non suasoriis controversiisque, sed recitatio-

(1) Vide præsertim orationes Germanici ad seditiosos milites et Galgaci ad Britannos et Senecæ ad Neronem Neronisque ad Senecam.

(2) C. Tacitus, *de oratoribus* dialogus, xxxv.

nibus inserviunt, et, quum non jam ante condiscipulos magistrosque dicant, per codicillos et libellos auditores invitare solent, nunquam in mediâ luce, sed semper in umbratili loco, intra parietes, quibus deficientibus muti confusique manent, oratorios vel potius, ut ait Tacitus, histrionales modos exprimentes. Nempè, ex quo primus Asinius Pollio ante lectâm rogatorum amicorum coronam opera sua recitare instituit, perpetuò publicæ lectiones totâ urbe circumsonant, ita ut « toto mense nullus sit » ferè dies quo non recitet aliquis [1]. » Mox, propter crescentem in annos recitationum pestem, declamatio, quæ non jam intra scholæ parietes se continet, totius ætatis quasi commune et peculiare signum fit manetque. Nam nova ista res ad se omnia litterarum genera velut prædam debitam trahit, elevat, corrumpit : quippe quum plerique et historiæ et tragediarum et epicorum lyricorumque carminum et orationum scriptores, histrionibus similes, nil nisi scenicam ostentationem spectatorumque plausus quærant, et, sedulo auditoriis inservientes, verba sua ad aurium voluptatem vitiatorumque animorum delicias appetenter accommodent.

Misero autem in illo litterarum naufragio nihil tam lamentabile fuit quam quod historia apud Romanos, postquam ad perfectionem quamdam pervenerat, subitò subindè lapsu cecidit et quasi declamatoria exercitatio facta est, in cubiculis recitato-

(1) Plinii Junioris *Epist.*, I, XIII.

rum subselliisque benè sonatura, omissâ omni utilis et veri curâ : quippe quæ, si de universâ tantum populi Romani historiâ cogitamus, ab eodem, qui primus eam condiderat, id est, a Tito Livio, sepulta sit. Ubi enim historiam publicæ lectiones arripuerunt, accidit ut, omissâ fide, sæpissimè in laudationes panegyricosque et aliquando in vituperationes atque famosos libellos illa antiquæ vitæ magistra et veritatis interpres degeneraret vel, quod multo turpius est, in materias, quas oratorii isti cum sententiis et acutè dictis distinguerent.

Primus autem videtur Asinius Pollio, recitationum, ut supra dixi, pater et inventor, historiam velut in scenam deduxisse. Etenim bella civilia a consulatu Metelli et Afranii usque ad Actianam Cæsaris Octaviani victoriam (1) pluribus libris narraverat vir ille omnibus vicissim partibus addictus, nunc Pompeianus, nunc Julianus, iterum post dictatoris mortem adversus unius imperium pro antiquâ reipublicæ formâ præclarissima locutus, deindè rursus fortunam Antonii secutus, et postremò, quum in supremo ad Actium prælio tranquillus et otians domi prudentissimè mansisset, Augusto victori conciliatus (2). Ergo, ut mihi verisimile est, recitare non dubitavit ante convocatos familiares et amicos opus illud, aleæ quidem plenum cuivis firmo et libero

(1) Laudat tertium Asinii Pollionis librum Val. Maximus, viii.
(2) Dicebat se nolle in eum scribere qui posset proscribere. Macrobius, *Sat.*, ii, 4.

civi, nullo autem modo illi emunctæ naris et mutabilis animi viro, qui sine dubio, quum mendax et odio præoccupatus contra Ciceronis memoriam multa sordida proferret, multo potius favori quam iræ principis obviam ibat. Verum historicis quibusdam, qui longè abfuerunt ut eodem pacto imperatori placuerint, Asinius Pollio recitandi studium et morem injecit. Vide enim quæ Seneca philosophus retulerit : « Timagenes historiarum scriptor quædam in ipsum » Augustum, quædam in uxorem ejus et in totam » domum dixerat, nec perdiderat dicta. Magis enim » circumfertur et in ore hominum est temeraria ur- » banitas. Sæpè illum Cæsar monuit ut moderatius » linguâ uteretur : perseveranti domo sua interdixit. » Historias postea quas scripserat *recitavit* et com- » bussit, et libros acta Cæsaris Augusti continentes » in ignem posuit (1). » Mox, crescente in dies scriptorum historias recitantium audaciâ, timuisse Augustus videtur ne publicæ lectiones quasi nova curia, novum forum, nova rostra liberis et inimicis vocibus fierent, et ideo in quosdam crudelius animadvertere statuit. Sic incognito adhuc pœnæ genere è senatusconsulto cremati sunt libri omnes Labieni, eximii illius oratoris et historici, qui « per multa » impedimenta eluctatus, ad famam ingenii confi- » tentibus magis hominibus pervenerat quam vo- » lentibus (2). » Hic vir magnæ pugnacitatis et

(1) *De irâ*, III, 23.
(2) SENECÆ rhetoris *Controv.*, lib. v., præfat.

summi contra novum reipublicæ statum odii, quum nunquam Pompeianos sensus deposuisset, lectionibus publicis solitâ cum libertate suâ, quæ « tanta » erat ut nomen libertatis excederet, » uti non omisit. Quum aliquando recitaret historiam, quamdam partem convolvisse fertur et dixisse : Hæc quæ transeo post mortem meam legentur (1). Postquam vero in apertam iram verti cæpit moderationis imperatoriæ simulatio, non tamen defuerunt multiplicatis recitationibus historici : jam autem semper ii fuere qui vel, gliscente adulatione, in veræ historiæ depravationem caderent, vel, omni suppressâ libertate, nihil nisi oratoriam amplificationem et exornationem quærerent. Quapropter jure et merito Tacitus scripsit Tiberii Caiique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis, falsas fuisse (2) : recitatorum enim, non historicorum magnum proventum miserrima tempora attulerunt. Ipse Claudius Cæsar a se compositam historiam non feliciter recitasse fertur, ut apud Suetonium legere est : « Historiam in adoles- » centiâ, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavo etiam » adjuvante, scribere aggressus est. Et quum fre- » quenti auditorio commisisset, ægrè perlegit refri- » geratus sæpè a semetipso. Nam quum initio reci- » tationis, defractis compluribus subselliis, obesitate » cujusdam, risus exorsus esset, ne sedato quidem » tumultu temperare potuit quin ex intervallo facilè

(1) Senecæ rhétoris *Controv.*, lib. v, præfat.
(2) Tacitus, *Annales*, i, 1.

» reminisceretur cachinnosque revocaret[1]. » His temporibus si quis principis vult auspicari favorem, historiam, in quâ, penitus incredibili pietate in dominum dominique gentem effusus, ad panegyricam orationem omninò ascendere conatur, potius quam carmina ipsa scribit et ante servilem adulatorum coronam magnificè recitat. Imo reperias qui non imperatorem modo, sed apud Cæsarem gratiosissimum quemque celebrandi ita occasionem sibi natam arbitrentur. Quin etiam, quum solemne sit præcipua quæque potentium amicorum patronorumque gaudia muneribus offerendis gratulari, quæ alii donis, carminibus celebrant poetæ, orationibus oratores, et (quod multo gravius est) historiis historici. Quum autem præsertim mos ille receptus sit in laudandis consulatibus, ab incipiente prædicandi viri magistratu historias suas arcessere solent, vel, quo exquisitior sit adulatio, ad illum usque deducunt, cujus celebrandi quidquid narratur causa tantum est et quasi præparatio[2]. Quæ omnia adulandi genera etiam in compendii brevitate Velleius Paterculus peritissimè complexus esse mihi videtur. Vinicio enim consuli, apud Tiberium gratiosissimo, opus suum dedicat, in quo ipsius consulatum ornat totamque Viniciorum gentem frequentissimis laudibus extollit. Simul autem illi laudationem Tiberii præcipuum finem fuisse omninò constat, quum quam

(1) Suetonius, *Claudii vita*, 51.
(2) Hoc feliciter explicavit Dotwellus in Velleianis Annalibus. (Oxonii MDCXCVIII).

rapidissimo cursu ad illius principatum properet et incredibili modo eloquentiæ in laudando tam effusæ habenas immittat. Neque solum imperatoris facta dictaque adulanter et cum perpetuo admirationis sensu prædicat, virtutes humanâ naturâ longè superiores ostendit, inimicos vero vituperatione sæpius iniquâ persequitur; sed etiam Sejanum imprimis, tunc amicitiâ principis florentem, ceterosque primarios homines et aulicos, qui videlicet respondens majori minorive potentiæ præconium obtinent, celebrat in toto operis sui cursu : quippe quum in priori parte illorum avos, in posteriori eos ipsos in lucem protrahat. Quum autem, propter tot personarum adumbratas vel expressas laudationes, operæ pretium esset librum non in unius et alterius, sed quam plurimorum cognitionem et approbationem venire, non possum temperare mihi quin affirmem Velleianum opus aut recitatum aut recitationi destinatum fuisse. Quod optimè probat, ni fallor, oratoria ista exornatio, quæ tam manifesta est, ut, si quis attentè librum evolvat, non solum explicationes auditorum assensioni accommodatas quasi perpetuo notare possit, sed etiam interdum viri recitantis actioni adesse sibi videatur. Hinc causa fit cur tot sententias, tot solemnes et transeundi et copulandi formulas, tot interrogationes et sententias et exclamationes adhibeat et his omnibus variis figuris se patefaciat quæ omnia, meo quidem judicio, declamatorem studiis auditorii sedulò et appetenter inservientem sapiunt, nedum mihi velut cuidam nimium

credulo aut benevolo commentatori scriptoris vel admiratione vel indignatione vel miseratione vel lætitiâ verè et vehementer affecti documenta esse videantur[1]. Adde tritas illas Catonum[2], Brutorum, Cassiorumque[3] laudationes, solitos de Cicerone questus, immissas sine more contra Marcum Antonium injurias, et ceteros istiusmodi locos communes, quos audaculi declamatores sub quovis imperatore proferre potuerunt, quum omnes Augusti memoriæ prudenter parcere et unius imperium Bruti morte necessarium fuisse factum comprobare solerent. Vide imprimis locum illum de morte M. Tullii, in quo Velleius, permittens habenas indignationi et totam sceleris invidiam in Antonii caput regerens, inisse certamen videtur cum declamatoribus toties, ut refert Seneca rhetor, fingentibus stantem in articulo mortis Ciceronem deliberasse an Philippicas combureret. Imo jurares a Velleio quasi suasoriæ cujusdam fragmentum insutum fuisse : « Nihil tamen egisti, Marce Antoni, (cogit enim excedere » propositi formam operis erumpens animo et pectore indignatio); nihil, inquam, egisti, mercedem » cœlestissimi oris et clarissimi capitis abscissi numerando[4]. » Neque mirum illud videbitur, si

(1) Ex. Jo. Christ. Henr. Krausii ad Velleium prolegomenis in N. E. Lemaire editione, p. XXVII.

(2) — « Cato, homo virtuti simillimus, et per omnia ingenio Diis quam hominibus propior, omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam habuit in sua potestate. » VELL. PAT., II, 35.

(3) *Ibid.*, II, 72.

(4) *Ibid.*, II, 66. — Vide et compara apud Senecam rhetorem ferè eadem de Cicerone verba. — *Suasoria*, VI.

quis in mentem revocaverit plerisque declamatoribus historiam nihil aliud fuisse nisi suasoriarum materiam, adeò ut Valerius Maximus, quum tot et vitiorum et virtutum et antiquorum morum exempla ex annalibus populi Romani ceterarumque gentium collecta uno opere comprehenderet, cuique declamanti documenta et testimonia suppeditare voluerit, quæ sine longæ disquisitionis labore quisque indè depromeret et exercitationibus suis insereret (1). Quæ quum jam, Tiberio imperante, res ita sit, magis atque magis in dies floret declamatoria ista historia et augentur historiarum publicæ lectiones. Quas recitationes, olim ipse recitator, Claudius imperator fovisse summis viribus congruenter naturæ suæ videtur. Coluit Servilium Nonianum, de quo sic Quintilianus locutus est : « Servilius Nonianus a nobis » *auditus est*, elati vir ingenii, et *sententiis creber*, » sed *minus pressus* quam historiæ auctoritas pos- » tulat (2). » Quem felicissimè publicis lectionibus usum esse Plinius junior memoravit : « At herculè » memoriâ parentum Claudium Cæsarem ferunt, » quum in palatio spatiaretur audivissetque clamo- » rem, causam requisisse, quumque dictum esset » recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatum- » que venisse (3). » Claudio mortuo, non silent sub Nerone, imperatore Comædo, historiarum recita-

(1) Val. Maximus, præf., i-vi, 2. — viii, 14.
(2) Quintilianus, x, i, 103.
(3) Plinii Jun. *Epist.*, i, 13.

tores[1] : quum vero « omne studiorum genus paulo » liberius et erectius periculosum servitus face- » ret[2], » verisimile est nunquam principis laudibus et rhetoricis artibus magis addictam esse declamatoriam istam res narrandi vel potius venditandi rationem[3]. Postquam autem, Vespasiano imperium auspicante, libertas quædam restituta est, tum, quum princeps ipse curandæ veritatis exemplum dare non dubitaret[4], fuit quasi renovatio meræ et sinceræ historiæ : quippe quæ mox, quanquam a Domitiano sæviter repressa et obruta[5], sub Trajano clarissimè exsplenduerit. At etiam tunc, dum Tacitus, scriptorum historiæ gravissimus, debitos æternitati libros[6] scribit, dum C. Suetonius Tranquillus non tam disertè quam verè et diligenter res memoriæ tradit, quasi ad summum veniunt publicæ lectiones : si unquam alias, omnes et carmina et orationes et historias recitandi studio calent : floret quam maximè declamatoria et panegyrica ars res narrandi : « Reci- » tâturus est Titinius Capito, inquit Plinius junior, » quem ego audire nescio magis debeam an cupiam

---

(1) Senecæ ad Lucilium *Epist.*, 92, 2

(2) Plinii *Epist.*, iii, 5.

(3) Speciosus de eâ re exstat locus, Petron, *Satyr.*. ab init.

(4) « Tum sorte ducti per quos redderentur bello rapta, quique æra legum vetustate dilapsa noscerent figerentque, et fastos adulatione temporum fœdatos exonerarent. » Tac., *Hist.*, iv, 10.

(5) Legimus, quum Arulceno Rustico Pœtus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse : neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque sævitum, etc. — Tac., *Agricola*, ii.

(6) Plinii Jun. *Epist.*, vi, 16.

» ..... Scribit exitus illustrium Virorum, in iis quo-
» rumdam mihi carissimorum. Videor ergo fungi
» pio munere, quorumque exsequias celebrare non
» licuit, horum quasi funebribus laudationibus,
» seris quidem, sed tanto magis veris, interesse[1]. »
Lege quoque quid idem Plinius de Pompeio Saturnino, declamatore simul et historico, memoraverit :
« In historiâ magis satisfaciet vel brevitate, vel luce,
» vel suavitate, vel splendore, etiam et sublimitate
» narrandi : nam in concionibus eadem, quæ in ora-
» tionibus, vis est[2]. » Adde hunc non omittendum
locum : « Quanta potestas, quanta dignitas, quanta
» majestas, quantum denique numen sit historiæ
» quum frequenter alias, tum proximè sensi. Reci-
» taverat quidam verissimum librum, partemque
» ejus in alium diem reservaverat. Ecce amici cujus-
» dam orantes obsecrantesque, ne reliqua recitaret :
» tantus audiendi quæ fecerint pudor, quibus nullus
» faciendi, quæ audire erubescunt[3] ! » Quin ipse
Plinius, postquam in senatu ad rationem et loci et
temporis panegyricum Trajani pronuntiaverat, opus
illud volumine spatiosius et uberius amplexus est
et amicis recitavit : « Per biduum convenerunt, ait,
» quumque modestia mea finem recitationi facere
» voluisset, ut adjicerem tertium diem exegerunt[4]. »
Non autem cum Trajano periere operum omnium
et historiarum imprimis recitationes, quamvis jam

(1) Plinii *Epist.*, viii, 12.
(2) Plinii, i, 16. — (3) Id. ix, 27. — (4) Id. iii, 28.

in deterius labi viderentur[1] : supersunt diuque supererunt, quum ferè tertio post Trajanum sæculo Ammianum Marcellinum, haud mediocri auctoritate virum, ut libri sui notitiam produceret, publicâ lectione usum esse memoriæ tradatur. Quæ quum ita sint, mihi videtur Florus noster, Trajani Hadrianique ævo, ut supra dixi, vivens, illis historiarum recitatoribus, quorum vestigia sequi et monstrare modo conabar, annumerandus esse. Etenim, velut ceteri, de quibus quædam retuli, rhetoricis et panegyricis artibus addictus, historiam quasi declamationis materiam habuit. In eo tamen laudandus est quod, quum alii rhetores isti singulorum imperatorum vel etiam virorum aut potentia aut interdum virtute præstantium laudes canerent, Romæ ipsius gloriam amplexus est et populi Romani totius, non unius hominis, laudem magno quidem verborum sono celebravit. Igitur, quum Florianum opus aut recitatum aut recitationi destinatum esse arbitremur et affirmemus, jam nobis superest ut illud omninò planum manifestumque faciamus attentè perspiciendo et diligenter probando quæ fuerit breviarii forma et dispositio, qui narrandi tenor, quæ fuerint scriptoris mores opinionesque, quæ denique scribendi ratio, quæ lingua, quæ verborum fuerit compositio.

---

(1) Plinii I, 13: «ad audiendum pigrè coitur.»

CAPUT QUINTUM.

QUO ORDINE, QUEM AD FINEM RES ROMANAS FLORUS TRACTAVERIT.

Jam indicavimus Floriani operis titulum, qualis in manuscriptis libris reperitur, momenti nullius haberi debere, quum manifestum sit eum ab ipso Floro ita profectum esse credi non posse. Etenim contra auctoritatem codicum, in quibus inscribitur « Epitoma de Tito Livio, » vel « Epitoma de Tito Livio bellorum omnium annorum septingentorum, » monstravimus multa a Floro præter Livium è fontibus aliis hausta esse, illiusque librum non servum breviarium, sed indole peculiari opus judicandum esse. Non major, quod ad ejusdem epitomæ divisiones attinet, fides adhibenda est codicibus, qui opus diverso modo in libros et capita distinguunt. Plurimi quatuor libros habent : Bambergensis codex, qui optimus est, totum opus in duos libros dispescuit. Ipsum autem Florum neque hoc neque illo modo breviarium divisisse, sed rem a librariis ita factam esse constat. Qui quatuor esse libros voluerunt nihil nisi partium æqualitatem proposuisse sibi videntur : qui opus in duos tantum libros distinxere, externa bella a civilibus bellis separatim narrata esse quum animadvertissent, indè divisionem operis traxerunt : quæ in eo peccat quod res sub

Augusto domi et foris gestæ permixtè a Floro memoratæ sunt. Haud aliter capitibus et capitum præscriptionibus liber adeò miserè laceratur ut, veluti optimè nos monet O. Jahn, non dubitandum sit « quin ad » usum lectorum, summam rerum celeriter lustrare » cupientium, bellorum et rerum potissimarum no- » mina in margine adscripta fuerint, quibus postea » demum tanquam capitum titulis librarii ad verba » scriptoris dispescenda usi sunt (1). » Quoties enim hæc capitum ordinatio ipsius historici narrationi apertè contraria est! Quædam referamus exempla. Jam ab initio operis hic titulus : « *A Romulo tempora regum septem,* » non justum locum obtinet, quum procemium non antecedere, sed sequi deberet. Anacephalæoses vel rerum repetitiones ac congregationes manifesto non a Floro sunt, sed ab his qui singulis capitibus ordinandis titulos adposuerunt : nempè vel aliis quibusdam locis eodem jure poni potuerunt, ubi ad alia transitum sibi facit scriptor, vel res narratas non semper enumerant summatimque colligunt. Examinetur præsertim hæc quæ priorem librum coronat, anacephalæosis, cujus magna pars non præteritam narrationem breviter revocat, sed futuram præparat et adducit. Tituli vel nihil indicant quod definitum sit et certum : sic in capite, ubi Florus narrat quomodo, post Lucretiæ mortem, Bruto Collatinoque ducibus et auctoribus reges pulsi sint, inscribitur vagum illud : « *De mutatione rei-*

(1) O. Jahn, in præf., xxxvi.

publicæ [1] : » vel sæpè minimam rerum narratarum partem designant : sic in loco, ubi legitur : « *Bellum Allobrogum*, » prælia contra Saluvios et Arvernos reperias [2] : item ubi inscribitur : « Bellum Gallicum, » narrantur quoque adversùs Germanos certamina [3], et in capite, cujus titulus est : « Bellum Mithridaticum, » omnes ulteriores in Asiâ Pompeii victoriæ memorantur [4]. Imò sæpissimè loca quæ, si ipsius Flori verba attentè perspexeris, ab ipso scriptore inter se nexa et jugata esse facilè agnosces, è libidine librariorum in capita et titulos diducta sunt. Sic, quamvis Florus ipse se bella contra Picentes et Sallentinos et Volsinios uno tenore narrasse voluisse satis accuratè indicaverit, non dubitatum est quin hic locus in tres partes minutas distribueretur [5]. Item est de tribus capitibus, in quæ bella civilia ab Octaviano Cæsare ante triumviratum gesta gratuito divisa sunt [6]. Quin etiam haud semel accidit ut ipsa Flori verba pro titulo præscriberentur [7]. Quæ quum ita sint nullaque causa appareat cur Florus tam parvi voluminis opus in tot partes distribuisse cogitandus sit, in hanc opinionem libentissimè discedo : « Verisimile videtur librum singu- » larem ab eo publicatum esse : quo titulo, nesci- » mus [8]. »

Jam verò eò pervenitur ut probemus diligenter quem ad finem opus suum Florus composuerit :

---

(1) Florus, i, 3. — (2) Id. i, 36. — (3) Id. i, 44. — (4) Id. i. 38. — (5) Id. i, 14, 15, 16. — (6) Ip. ii, 13, 14, 15. — (7) Id. ii, 6.
(8) O. Jahn, in præf., xxxvii.

quod non difficile esse arbitror, quum ipse Florus enucleatè, ut mihi videtur, dicat quæ mens sibi, quod consilium in scribendo libro fuerit. Non enim tanta illi calamitas accidit, quanta Velleio Paterculo, cujus cum initio historicæ enarrationis periit quoque præfatio : Flori procemium habemus, quo præsertim fit ut auctoris consilium assequi liceat : « Populus » Romanus, ait, a rege Romulo in Cæsarem Augus- » tum septingentos per annos tantum operum pace » belloque gessit, ut, si quis magnitudinem imperii » cum annis conferat, ætatem ultra putet. Ita latè » per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res » illius legunt non unius populi, sed generis humani » facta condiscant. Tot in laboribus periculisque » jactatus est, ut ad constituendum ejus imperium » contendisse Virtus et Fortuna videantur. Quare » cum si quid aliud hoc quoque operæ pretium sit » cognoscere, tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo » rerumque diversitas aciem intentionis abrumpit, » faciam quod solent, qui terrarum situs pingunt : » in brevi quasi tabellâ totam ejus imaginem am- » plectar, non nihil, ut spero, ad admirationem » principis populi conlaturus, si pariter atque inse- » mel universam magnitudinem ejus ostendero (1). » Potuitne apertioribus verbis Florus significare quid sibi proposuerit, quum ad scribendum illius modi breviarium sese daret? Homo umbraticus, rhetoricis studiis valdè deditus, nullam materiam pulchriorem

(1) Florus, procemium.

invenit, ut artem exerceret sententiasque et acutè dicta et scholasticum verborum sonum, more declamatorio, venditaret. Illi ergo in animo fuit multa, ut ipse dixit, ad admirationem populi Romani conferre, id est, panegyricum ex consuetudine ejus, quo vitam egit, temporis componere. Quod agnovit Augustinus, qui spectans ad quædam Flori verba [1] scripsit : « ita ut, his quoque fatentibus, qui non » tam narrare bella Romana, quam Romanum im- » perium laudare instituerunt, similior victo fuerit » ille qui vicit [2]. » Est autem animadvertendum Florum ne totam quidem populi Romani vitam vel summatim attigisse, sed tantummodo res bellicas tractare. Etenim omnia negotia, quæ ad internum reipublicæ statum pertinent, instituta, mores, oratorum in rostris certamina, legumlationes, fœdera eorumque conditiones, liberales artes, sapientissima etiam in hostes senatûs consilia quam brevissimè indicavit aut prorsus omisit, quum indè non magna declamandi copia sine dubio suppeditaretur. Ille verò semper prælia loquitur, longam bellorum seriem ore magna sonanti prædicat, et quasi « victoriarum pæanem desaltat. » Quod haud ineptè monstrat codicis Bambergensis titulus, qui, quanquam ab ipso Floro non profectus, quid susceperit auctor rectè designare mihi videtur : « Epitoma... bellorum omnium septingentorum. »

---

(1) Florus, I, 22.
(2) Augustinus, *De civ. Dei*, III, 19.

Ergo, quum solummodo laudandam bellicam populi Romani virtutem sibi Florus quasi pro materia recitandæ declamationis dederit, nullo modo Velleii Paterculi viam sequitur. Velleius enim, qui singulorum virorum, multo potius quam ipsius populi universi laudem aggreditur, incipit plerumque a claris hominibus, qui primas rei partes egerunt, atque ad genus eorum et cognationem, ad corporis eorum animique dotes, indolem, totam vitam digreditur. Florus contra quam minimè de personis loquitur, quum in festinante transcursu rerum breviter propositarum populum ipsum laudibus extollere velit vitamque illius quasi unius hominis consideret : « Si quis ergo populum Romanum quasi » unum hominem consideret totamque ejus vitam » percenseat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi » ad quemdam juventæ florem pervenerit, ut postea » velut consenuerit, quatuor gradus processusque » ejus inveniet [1]. » Ipsam igitur semper ante oculos Romam habet, cujus terrarum orbem quasi patrimonium esse debitamque Romanis triumphis prædam arbitratur [2] : imò quoties universi populi personam ipse gerere videtur : quippe qui, ut rectè Titzius indicavit, sæpissimè pronomen illud « *nos* » non sine vanitate quâdam et ostentatione inferat :

---

(1) Florus, procœmium.

(2) Haud aliter fecit in Itinerario Suo Rutilius Numatianus a quo Roma vocatur :

Regina sui pulcherrima mundi.

« Tarentus ad *nos* redierat [1]. — In Antiocho *vici-*
» *mus* Xerxem; in Æmilio Themistoclem *æquavi-*
» *mus;* Ephesiis Salamina *pensavimus* [2]. — Attalus,
» regis Eumenis filius, socii quondam commilitonis-
» que *nostri* [3]. — Et hæc fuit de *nobis* Jugurthæ
» prima victoria [4]. — Arma *nostra* sensere Salu-
» vii [5]. — Spem ac fiduciam dabant Mithridati
» *nostra* vitia [6]. » Præterea nonne hæc inflâta et magnifica pronomina audientibus legentibusve quasi diverticula fuere, quibus interdum animi velut sequacioribus stimulis urgerentur?

Quod ad panegyricam operis formam attinet, non solum ex ipsis Flori verbis illis, quæ retulimus, apparet, sed in quoque ferè versu primo obtutu ostenditur. Jam fusius supra monstravimus quomodo, omisso omni historicæ fidei studio, res a Romanis gestas, impedimenta fracta, objices ruptos, hostium perdomitorum opes et potentiam et vires deditâ operâ ultra modum in majus augere solitus fuerit. Nunc autem operæ pretium est quædam adjicere, quibus res apertior etiam fiat. Etenim, si Floro credas, Romani non solum orbis terrarum, sed etiam ferè universi mundi domini sunt. Magno verborum sonitu ac tumore declamans, quoties exponit et profitetur omnia principi populo cedere? Dimicantes Romani a fundamentis terram concutiunt ac tremefaciunt : « Commissam aciem secutus ingens

(1) Florus, I, 22. — (2) Id. I, 24. — (3) Id. I, 34. — (4) Id. I, 35. — (5) Id. I, 36. — (6) Id. I, 39.

» terræ tremor, nisi illum horrorem soli equitum » virorumque discursus et mota vehementius arma » fecerunt [1]. » In propellendis navibus suis Romani ventis ipsis laborem et molestias afferunt : « Naves » Antonii, castellorum et urbium specie, non sine » gemitu maris et labore ventorum ferebantur [2]. » In Romanorum partibus est ipse pontus Euxinus : « Centum amplius navium classem apparatu belli » gravem Pontico mari aggressa tempestas tam fœdâ » strage laceravit ut planè Lucullus quodam cum » fluctibus procellisque commercio debellandum tra- » didisse Mithridatem ventis videretur [3]. » Oceanus quoque, dum Cæsar navigat, tranquillus magis et propitius est, quasi imparem se fateatur [4], et ipsa luna Romanis favet : « Nocturna dimicatio fuit, et » luna, in Romanis partibus, quippè quasi commi- » litans, quum a tergo se hostibus, a facie Romanis » præbuisset. [5] » Imò Dii ipsi de cœlo descendunt ut rerum a Romanis gestarum sint participes [6].

Neque immerito ita Romanis invigilare rebus divinum numen videtur, quum Florus plerumque prælia memoret veluti si Romani semper justissimam belli faciendi causam habeant. Vide imprimis quomodo Florus in Gallos Clusium obsidentes non severo tantum, sed iniquo etiam judicio grassetur. Quamvis, ut Titus Livius narravit, Clusinis ante bellum Gallicum nullam societatem amicitiamve

---

(1) Florus, I, 22. — (2) Id., II, 21. — (3) Id., I. 38. — (4) Id., I, 43. — (5) Id., I, 38. — (6) Id., I, 28.

adversùs Romanos fuisse et Barbaros a tribus Fabiis provocatos esse constet, omnia Gallis culpæ a Floro vertuntur : quippe quum, legatos romanos pro sociis et fœderatis intervenisse scribens, hæc addat : « Missi ex more legati : sed quod jus apud Barba- » ros [1]. » Præterea in Romanâ clade non deest Romanis solita Deorum benevolentia, quum illam calamitatem in experimentum illatam fuisse Florus profiteatur, scire volentibus immortalibus Diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur [2]. Nunquam enim Florus clades memorat, nisi ubi efficiunt ut clarius Romana virtus eluceat : nam tali modo etiam in pessimis reipublicæ rebus præconia sententiis vibrandis et rhetoricæ venditandæ reperit. Hinc fit quoque causa cur imprimis antiqua illa et nobilia nomina ab ipso Livio ex parte fabularum nomine notata summo studio Florus repetat : quippe qui ultra modum in arctato atque reciso opere tot de Clæliis, Cocletibus, Muciis, Fabiis narratiunculis indulgeat [3]. At herculè indè Floro pretiosa materia præbebatur, quâ vel sensus novos inauditosque, vel argutas exquisitasque sententias, vel descriptiones oratorio et poetico cultu nitentes inveniret, et ita, ut Tacitus ait, lectorum auditorumve fastidium effugeret [4]. Quin interiores quoque seditiones ita enarrantur ut Romanam gloriam majestatemque auxisse

(1) Titus Livius, v, 35. — Florus, i, 7.
(2) Florus, i, 7.
(3) Vide jam laudatam Ulrici Kœhler dissertationem, p. 26.
(4) Tacitus (*Dial. de oratoribus*, 20).

et amplificasse videantur. Quod optimè probant, ni fallor, hæc verba benè sonantia : « In ipsis seditio-
» nibus principem populum non immerito suspexe-
» ris. Si quidem nunc libertatem, nunc pudicitiam,
» tum mortalium dignitatem, tum honorum decora
» et insignia vindicavit, interque hæc omnia nullius
» acrior custos quam libertatis fuit, nullaque in
» pretium ejus potuit largitione corrumpi, quum ut
» in magno et in dies majore populo interim perni-
» ciosi cives existerent (1). » Semper igitur velut in scenam ipse populus Romanus a Floro adducitur, quem interrogationibus, apostrophis, exclamationibus, clarissimis omnibus figuris ornet et quasi salutet. Cujus rei vide hæc satis luculenta exempla : « O singularem animum ac spiritum *populi Romani!*
» o horribilem in tot adversis fiduciam ! (2). » Et : « Quinam illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo
» prælio obtritos accepimus?... Quæ autem eorum,
» qui superfuerunt, in reparando exercitu festi-
» natio !... qui autem ille senatus fuit !... qui porro
» ipsi duces !... Quis ergo miretur his moribus, hâc
» virtute militum, victorem *populum Romanum*
» fuisse ? (3). » Adde hæc loca : « Igitur victor Italiæ
» populus, more ignis, qui obvias populatus in-
» cendio sylvas, interveniente flumine abrumpitur,
» paulisper substitit (4). — Victor gentium populus
» et donare regna consuetus (5). — Populus gentium

(1) Florus, I, 17. — (2) Id. I, 22. — (3) Id. I, 13. — (4) Id. I, 18. — (5) Id. 1, 43.

» victor orbisque possessor [1]. — Ille rudis, ille » pastorius populus verèque terrester ostendit nihil » interesse virtutis equis an navibus, terrâ an mari » dimicaretur [2]. » — Diversissimâ ratione ter et quater in quâque ferè libri paginâ ostentatur perpetuus « ille populus Romanus » et omni laudum genere ad cœlum extollitur: duces contra, ut supra dixi, vel omittere vel obiter tantum memorare solet Florus hoc festinante et additicio modo : « Populus » Romanus, hoc atque illo consule, dictatore, præ- » tore, imperatore, bellum gessit... » Nec mirum est, quum unius populi expressam imaginem offerre velit.

Quæ quum ita sint, jam superest nobis ut ostendamus quo ordine panegyricum illud opus ad finem Florus adduxerit et utrum ab historico an a declamatore ipse hic ordo profectus esse videatur. Imprimis animadvertendum est quam enucleatè impositos sibi fines Florus indicaverit : « Populus » Romanus a rege Romulo in Cæsarem Augustum » septingentos per annos tantum operum pace bel- » loque gessit [3]..... » Quamobrem nullo modo de ipsis Latii originibus loquitur, neque ex aliorum historicorum more, inde a Trojæ ruinâ, Æneæque et Trojanorum in Italiam adventu, civitatibusque constitutis, rerum narrationem exorditur : nondum enim natus erat populus ille Romanus, quem ipse, dum è variis quasi elementis congregat corpus

(1) Florus, ii, 2. — (2) Id. i, 18. — (3) Id. procemium.

unum, Romulus fecit rex. Cujus vitam a die natali quo ordine tractare sibi proposuerit statim ab initio Florus in loco jam haud semel diligenter a nobis examinato profitetur : « Si quis ergo populum Ro-
» manum quasi unum hominem consideret totam-
» que ejus ætatem percenseat, ut cœperit, utque
» adoleverit, ut quasi ad quamdam juventæ frugem
» pervenerit, ut postea velut consenuerit, quatuor
» gradus processusque ejus inveniet. Prima ætas sub
» regibus fuit prope per annos CCL, quibus circum
» urbem ipsam cum finitimis luctatus est. Hæc erit
» ejus infantia. Sequens a Bruto Collatinoque con-
» sulibus in Appium Claudium Quintum Fulvium
» consules CCL annis patet, quibus Italiam subegit.
» Hoc fuit tempus viris incitatissimum, ideoque
» quis adolescentiam dixerit. Deinceps ad Cæsarem
» Augustum CC anni, quibus totum orbem pacavit.
» Hic jam ipsa juventus imperii et quasi robusta
» maturitas. A Cæsare Augusto in sæculum nostrum
» haud multo minus anni ducenti, quibus inertia
» Cæsarum quasi consenuit atque decoxit, nisi quod
» sub Trajano principe movit lacertos et præter
» spem omnium senectus imperii quasi redditâ ju-
» ventute reviruit[1]. » Quam populi Romani velut unius hominis habiti imaginem probabiliter, ut in primâ nostræ disquisitionis parte fusius monstratum est, Florus mutuatus est a Senecâ rhetore, quem historias ab initio bellorum civilium pœnè usque ad

(1) Florus, procœmium.

mortis suæ diem perscripsisse è fragmento filii a Niebuhrio in membranis bibliothecæ Vaticanæ detecto scimus[1]. Nec mirandum est si declamator Florus vero declamationis Romanæ parenti imaginem illam, splendidam sanè et ingeniosam, parum autem, ut opinor, historicæ diligentiæ severitatique accommodatam, arripuit. Etenim quæ materia facilius rhetoricis pigmentis exornari potuit? Quapropter ex illa in quatuor partes divisione totius operis ordinem pendere haud semel ipse Florus satis accuratè monuit, quum non solum ab initio has quatuor ætates, infantiam, adolescentiam, juventutem, denique senectutem descripserit, sed etiam singulas postea suo loco semper in memoriam revocaverit, transitiunculis de industriâ in hunc finem institutis. « Hæc est » prima ætas populi Romani et quasi infantia quam » habuit sub regibus septem[2]. — Hæc est secunda » ætas populi Romani et quasi adolescentia, qua » maxime viruit et quodam flore virtutis exarsit ac » ferbuit[3]. — Hæc est illa tertia ætas populi Romani » transmarina, qua Italia progredi ausus orbe toto » arma circumtulit[4]. » Quartam autem ætatem, id est, senectutem, quam a bellis civilibus incipientem in historiis suis Seneca rhetor descripserat, deditâ operâ omnino Florus omisit. Quod quoque in declamatorem quadrare aptissime videtur. Florus enim, Romanæ virtutis laudator et quasi buccinator, ad id

(1) Vide : Egger, *Examen des historiens d'Auguste*, chap. IV, page 138.
(2) Florus, I, 17. — (3) Id. I, 47. — (4) Id. I, 34.

tempus tantummodo voluit opus deducere, quo ad maximam gloriam firmitatemque immensum imperium pervenerat. Quare non aptior potuit esse libri clausula quam momentum illud, quo Cæsar Octavianus dictus est Augustus, princeps, pater patriæ, post pacatam rempublicam pacatumque orbem. Illud autem optimum Romanæ reipublicæ tempus Augusteum non ex omni parte beatissimum fuisse, quod Tiberium exspectasset principatus successorem, Florus noluit dicere ideoque omnes res omisit commemorare sub Augusto principe gestas a Tiberio, cujus ne mentionem quidem fecit : quod certè non historici, sed rhetoris est. Attamen invitus Florus lætam imaginem suam in eo turbavit, « quod, quum us-
» que ad Augustum populum Romanum tanquam
» unum hominem finxerit, qui summas res ipse per-
» ficit, postea Augustum quasi in locum populi Ro-
» mani succedere atquè ea perpetrare fingit, quæ
» antea populus egerat [1]. » Adde quod jam ante temporis Augustei narrationem serenæ populi principis imagini tristitiam obduxisse Florus mihi videtur : quippe qui tertiam ætatem, id est, juventutem in has duas partes diviserit : « Hactenus popu-
» lus Romanus pulcher, egregius, pius, atque ma-
» gnificus; reliqua sæculi, ut grandia æque, ita vel
» magis turbida et fœda, crescentibus cum ipsa ma-
» gnitudine imperii vitiis; adeò ut, si quis hanc ter-
» tiam ejus ætatem transmarinam, quam ducen-

(1) O. Jahn, in præfatione, xxxvii.

» torum annorum fecimus, dividat, centum hos » priores, quibus Africam, Macedoniam, Syriam, » Hispaniam domuit, *aureos*, sicut poetæ canunt, » jure meritoque fateatur, centum sequentes *ferreos* » plane et *cruentos*, etsi quid immanius (1). » Postquam centum priores, id est, aureos, ut poeticè dixit, annos memoravit, alteram partem se iterum divisurum esse pronuntiat, ut primum externa, tum civilia bella enarret (2) : quo, externis bellis absolutis, nos ita revocat : « Posteri centum anni, quos » a Carthaginis, Corinthi, Numantiæ excidiis et At- » tali regis Asiaticâ hereditate deduximus in Cæsa- » rem et Pompeium, secutumque hos, de quo di- » cemus, Augustum, ut claritate rerum bellicarum » magnificè, ita domesticis cladibus miseri et eru- » bescendi (3). » Denique Florus narrat in ultimâ libri sui parte quomodo sub Augusto Romanus populus, ab uno creatus, jam vergens in senium rursus ad unius potestatem et simul ad quietem pervenerit. Inde autem res domi et foris gestas permixtè memorat, quum omnia non jam populus universus, sed princeps agat, neque arbitrii sui cives sint, sed imperatori sua regenda jura permiserint.

Verum non modo in magnis libri partibus dividendis, sed etiam in singulis rebus enarrandis quem ordinem secuturus sit Florus præscribit, sic quoque, ut opinor, in artibus oratoriis perseverans. Facit enim quod rhetores facere solent : quippe qui, ante-

(1) Florus, I, 33. — (2) Id. I, 33. — (3) Id. I, 46.

quam pluribus verbis de loco disserant, eum breviter summatimque præparent et attingant. Inde tot transeundi et copulandi particulas formulasque in Floro reperimus : quædam referamus exempla. Postquam narravit quomodo reges ab urbe pulsi sint, hæc addit : « Liber jam hinc populus Romanus prima » adversus exteros pro libertate arma corripuit, » mox pro finibus, deindè pro sociis, tum gloriâ et » imperio, lacessentibus assiduè usque quæque fini- » timis [1]. » Quod accuratè Florus exsequitur singulas partes iisdem verbis præparando : « Pulsis » urbe regibus prima pro libertate arma corripuit [2]. » — Hactenus pro libertate, mox de finibus pugna- » tum est [3]. — Pro sociis Romanus intervenit [4]. — » Ultro persequi socios hostium placuit [5]. »

Nunc autem, quum jam manifestum sit Florum sibi certum ordinem imposuisse, animadvertendum et notandum est quam indiligens et bracteatus hic ordo nobis esse videatur. Nempè ante omnia id notatu dignissimum est, quod omnino Florus temporum rationes neglexit, in hoc non modo veris historicis, qui rerum narratarum ætatem accuratius definire debent solentque, sed etiam Velleio Paterculo multo inferior. Velleius enim, quamvis in tempore signando levissimè, ut opinor, variet, tamen chronologiam quamdam usurpat, nunc « consules anni, in quem res memorabilis quædam incidit,

---

(1) Florus, I, 3. — (2) Id. I, 4. — (3) Id. I, 5. — (4) Id. I. VII. — (5) Id. I, 14.

nominans, vel annum talem numerans inde a Vinicio, ad quem scribebat, consule, vel addens nonnunquam etiam in rebus maximi momenti ætatem ipsius Urbis[1]. » Florus autem res per genera digestas sequi satis habuit, non solum propter incredibilem chronologiæ inscientiam, de quâ jam disseruimus, sed etiam quia talis narrandi ratio multo facilius declamatoriis artibus et præsertim locis communibus, exquisito et poetico cultu nitentibus, habenas permittit. Verum, ne ipsa ista rerum narrandarum genera temerè et casu digerere Florus videatur, plerumque quæ memorat ita solet ordinare ut cœli regiones sequatur. Quod ab eo jam inde ab initio indicatum esse animadvertendum est : » Faciam quod solent qui terrarum situs pingunt : in » brevi quasi tabellâ totam ejus imaginem amplec- » tar. » Porro in omni operis curriculo quomodo rationem geographicam secuturus sit, geographicis transitionibus adhibitis, nos monet. Quædam referamus exempla : « Victa ad occasum Hispaniâ, po- » pulus Romanus ad Orientem pacem agebat[2]. — » Hæc ad Orientem, sed non ad meridianam plagam » eadem quies[3]. — Sic ad meridiem populus Ro- » manus : multo atrocius et multipliciter magis a » septentrione...[4]. — Ponticæ gentes a septentrione » in sinistrum jacent[5]. — Itaque Mithridates con- » versus ad proximas gentes totum pœnè Orientem

(1) Hoc attigit in prolegomenis ad Velleium Krausius.
(2) Florus, I, 34. — (3) Id. I, 35. — (4) Id. I, 36. — (5) Id. I, 39

» ac septentrionem ruinâ suâ iuvolvit[1]. — Ad » septentrionem conversa fermè plaga ferocius age- » bat[2]. — Hæc ad septentrionem : sub meridiano » tumultuatum magis quam bellatum est[3]. — Ad » Orientem plus negotii[4]. — Sub occasu pacata erat » ferè omnis Hispania[5]. » Quam geographicam rationem Florum secutum esse quamvis longius exponere non opus esset, id Josephus Reber, O. Jahnii vestigiis graviter insistens, in libello suo, de quo jam locutus sum, magnâ verbosâque dissertatione pedetentim exposuit, ut non historiæ sanè, sed geographiæ saltem verè scriptorem Florum esse contenderet. Ego vero contra talem conjecturam vehementer repugno : quippe qui in secundo disquisitionis meæ capite quam turpiter sæpissimè in rebus geographicis Florus peccaverit diligenter indicaverim. Cuilibet breviarium illud attentè perspicienti nihil aliud esse ista Floriana geographia, ut opinor, videbitur quam rhetoris levitati et pigmentis accommodata dispositio. Inde enim, quum docto ordine aptissimè res inter se connectere neque propter inscientiam indiligentiamque Florus possit neque propter declamatorium operis finem velit, narrationi festinanti et in tot minutas partes divisæ copulandi et transeundi formulas facilè suppeditat. Inde quoque profluunt tot oratoriæ et poeticæ regionum descriptiones, nunc horrificæ et plenæ nigra formidine, ubi longinquas

(1) Florus, I, 39. — (2) Id. II, 21. — (3) Id. II, 31. — (4) Id. II, 32. — (5) Id. II, 33.

septentrionalesque terras, immensa et deserta spatia, nivosos montes, flumina æterno concreta gelu, maria iniquissima, populos immanes depingit, nunc dulces et aureæ, ut in hoc loco : « Nihil Campaniâ mol-
» lius cœlo : denique bis floribus vernat. Nihil ube-
» rius solo : ideo Liberi Cererisque certamen dicitur.
» Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus,
» Caieta, Misenus; tepentes fontibus Baiæ; Lucri-
» nus et Avernus, quædam maris otia; hic amici
» vitibus colles..... [1]. » Postremo inde quoque accumulantur non minus declamatoriæ tot amniculorum, fluminum, lacuum, sinuum, montium, sylvarum, oppidorum, urbium, Barbarorum populorum regumque enumerationes, quas ita præcipitare Florus mihi videtur, ut hebescentibus auditorum lectorumve auribus nescio quid novum et crepitans et peregrinum etiam resonet. Vide hunc locum : « Hinc Gal-
» lici Germanique delectus, indè Dejotarus, Ario-
» barzanes, Tarcondimotus, Cotys et Rhascypolis,
» omne Thraciæ, Cappadociæ, Macedoniæ, Ciliciæ,
» Græciæ, totiusque robur Orientis [2]. »

Quum autem ista cœli regiones persequendi consuetudo enarrandis bellis civilibus plerumque in ipsâ Urbe gestis jam non accommodaretur, ea tamen ita Florus ordinavit ut omnis chronologiæ cura diligens rursus omitteretur. Novâ quidem, sed non minus ad rhetoricas artes aptatâ dispositione usus est : nempè certamina domestica a primis tribunitiis se-

(1) Florus, I, 11. — (2) Id. II, 13.

ditionibus usque ad Cæsaris Octaviani Antoniique prælia ita memoravit ut rempublicam quasi continuo certoque gradu processuque post bellum quodque civile in pejus ruentem ostenderet. Primum plebs, tribunis ducibus, propter æs alienum frumentariasque et agrarias leges seditionibus indulget : mox autem non jam seditio, sed verum bellum agitur : nam socii populi, Etrusci, Latini, Sabini, quos sibi Romani miscuerunt, non minore flagitio intra Italiam quam intra urbem rebellant[1]. At, etsi cum sociis, cum liberis tamen et ingenuis dimicatum erat : quis nunc æquo animo ferat in principe populo bella servorum[2]? Imo bellum duce Spartaco concitatum quo nomine appelletur omnes nesciunt, quum servi militaverint, gladiatores imperaverint[3]. « Illi infimæ, hi pessumæ sortis homines auxere » ludibriis calamitatem Romanam. » Jam vero ad tantum dedecus pervenitur ut ipse populus Romanus intra se parricidale bellum stringat et in urbe mediâ ac foro quasi arenâ cives, a Mario Syllâque ducti, cum civibus suis gladiatorio more concurrant[4]. At saltem ad imperium obtinendum Marius et Sylla et Sertorius pugnabant : Catilina vero distringere incendiis urbem, diripere ærarium, omnia funditus tollere cupit, hostis et latro suæ patriæ[5]. Postremo hoc deerat unum Romanis malis ut totus terrarum orbis quasi diluvio bellorum civilium et

(1) Florus, ii, 6. — (2) Id. ii, 7. — (3) Id. ii, 8. — (4) Id. ii, 9. — (5) ii, 12.

inundatione vastaretur. Cæsaris furor atque Pompeii hoc effecit, « adeò ut non rectè tantum civile dica- » tur, ac ne sociale quidem, sed nec externum, sed » potius commune quoddam ex omnibus et plus » quam bellum[1]. » Verum enim vero ne Florum quidem, credo, fugiebat quam fictus et mendax, nullâ temporum adhibitâ ratione, sic uno tenore narratis civilibus bellis, esset ordo istiusmodi, quomodo ad verba tantum, non ad rem, pertineret. Videlicet illud Florus parum curat, dum talis ordinis gratiâ indignationi et miserationi habenas immittat et interrogationibus exclamationibusque suis facilius indulgeat : « Quis credat? — Quis ferat! — » Mirabile et horribile dictu! — Infandum! — Pudet » dicere! — Facinus indignum! — O nefas! »

Sed de externâ operis formâ satis est : nunc veniamus ad ipsos Flori mores et stilum.

---

(1) Florus, ii, 13.

CAPUT SEXTUM.

DE FLORI MORIBUS ET STYLO.

Me quidem jam nunc qui fuerint Flori mores requirentem minimè fallit quam difficilis illa quæstio sit et obscura. Primo obtutu lubrici laboris est discernere quid Floro peculiare sit et proprium, quid non, quum plerumque tantum sonora quædam imago haud immerito habeatur. Nempè nunc, dum locis communibus et oratoriis inservit, quidquid eum in scholâ docuere declamatores, subsequitur et refert; nunc, dum magis historici partes agit, non res et verba modo, sed opiniones quoque et sensus ab antiquis scriptoribus mutuari solet. Attamen, ut opinor, Flori breviarium interdum vindicat sanè auctori quamdam in cogitando sentiendoque indolis et ingenii speciem, è quâ virum Trajani Hadrianique æqualem odorari et agnoscere licet : cujus in opere nescio quid liberum spiratur, quod, nisi ipsi Floro, ætati saltem quâ vixit, laudi dandum esse mihi videtur. Etenim quemadmodum Velleius Paterculus, forsan non quod a naturâ humilem ignavamque mentem sortitus esset, sed quia sub principatu suspicacissimi Tiberii perpetuas dominationis imperatoriæ laudes metus exprimebat, servilisque animus in communi servitute vix suî conscius erat, dignus

est qui in numero adulatorum habèatur; ita Florus, propter diversitatem temporum redditamque sub Trajano cuilibet homini suopte ingenio ad bona prono quamdam dignitatem, is est qui satis liberi viri famam auferat. Panegyricum quidem, opus declamatoriis artibus accommodatum, è more ejus, quo vixit, temporis earumque, ubi a rhetoribus educatus fuit, officinarum, scripsit; sed unum populum Romanum, fictam sanè imaginariamque personam, è quà neque honores neque divitiæ pendebant, celebravit. Imò ex hoc opere ne occasionem quidem aut principem aut quosdam principis favore florentes vel paucis verbis laudandi cepit : quippe qui, Romanum populum inertiâ Cæsarum consenuisse liberè professus, semel et obiter Trajano gratulari voluisse videatur (1) : « Consenuit atque decoxit, » nisi quod sub Trajano principe movit lacertos et » præter spem omnium senectus imperii quasi red- » ditâ juventute reviruit. »

Hoc autem nobis cavendum est, ne, libertate Flori ultra modum omnem in majus auctâ, eum principatûs inimicum veteris reipublicæ statum desiderasse et censorium erga imperatores supercilium affectavisse credamus. Cæsarem quidem vituperare his verbis videtur : « Sic ille qui terrarum orbem civili » sanguine impleverat tandem ipse sanguine suo » curiam implevit (2). » Pompeii contra sortem mi-

(1) Florus, procemium.
(2) Florus, II, 13.

serari solet, Catonis mores et vitam et lethum vehementer admiratur, Cassium Brutumque ademptos lugere non dubitat, quorum animas sanctissimas piissimasque vocat, hæc addens : « Quam verum est » quod moriens Brutus efflavit, non in re, sed in » verbo tantum esse virtutem ; » et affirmans cum triumviris fortunam, virtutem autem cum Cassio et Bruto fuisse (1). Verum enim verò illa verba non animi antiquos sensus verè spirantis documenta haberi debent, sed tantum quasi declamationum fragmenta locique communes jam inde ab Augusto triti in rhetorum scholis. Etenim jam indicavimus quam æquo tranquilloque animo declamationes veterem rempublicam laudibus in umbratili loco quotidiè prosequi imperatores tulerint et quamdam imaginem libertatis oratoriæ, re amissâ, intra rhetorum parietes manere non incallidè permiserint. Igitur illæ Catonum, Pompeiorum, Brutorum, Cassiorumque laudationes a Floro potius nitidis et magna sonantibus sententiis quam veris querelis ornatæ fuisse, imò tantum sumptæ è schólâ recordationes esse et imitationes cuilibet rem attentè perspicienti videbuntur. Primo animadvertendum Florum in illis rebus enarrandis nullo modo Velleio Paterculo audaciorem esse, quamvis alter sub Trajano Hadrianoque, principibus optimis, alter imperante Tiberio, suspicioso et crudeli tyranno, scripserit. Ambo, quod ad illud bellorum civilium tempus illosque

(1) Florus, ii, 17.

viros attinet, iisdem artibus utuntur, easdem opiniones et ferè sententias præ se ferunt, quia ambo declamant, atque, ut ita dicam, veterem rhetorum, qui semper ne molles ad suscipiendam offensionem imperatorum animos irritarent sedulò caverunt, supellectilem perpolire solent. Florus igitur Cassium Brutumque laudat, sed addit eorum facinore unius imperium necessarium factum fuisse : « Brutus et » Cassius sic Cæsarem quasi Tarquinium regem » depulisse regno videbantur; sed libertatem, quam » maximè restitutam voluerunt, illo ipso parricidio » perdiderunt [1]. » Idem dicit : « Gratulandum ta- » men, ut in tantâ perturbatione est, quod potissi- » mum ad Octavium Cæsarem Augustum summa » rerum rediit, qui sapientiâ suâ atque solertiâ per- » culsum undique ac perturbatum ordinavit imperii » corpus, quod haud dubiè nunquam coire et con- » sentire potuisset, nisi unius præsidis nutu quasi » animâ et mente regeretur [2]. » Ciceronis quoque de letho Florus ingemuit; sed, sicut fecerat Velleius, declamatorum, qui magni oratoris mortem pro materiâ sumebant vel fingebant stantem in articulo mortis Tullium deliberasse an Philippicas suas combureret, vestigiis insistens, Augusti memoriæ omninò parcit totamque sceleris invidiam in Lepidi Antoniique caput regerit : « Civitas lacrymas tenere » non potuit, quum recisum Ciceronis caput in illis » suis rostris videret, nec aliter ad videndum eum

(1) Florus, ii, 17. — (2) Id. ii, 14.

» quam solebat ad audiendum concurreretur. Hæc » scelera in Antonii Lepidique tabulis; Cæsar patris » percussoribus contentus fuit [1]. » Credo igitur Florum, tantummodo rhetorum imitationi, studio argutè loquendi, et umbratilibus artibus valdè deditum, tantis autem cogitationibus tantarumque rerum desiderio vel curæ sine dubio imparem, non aliud optasse quam otium quamdamque scribendi libertatem sub bono principe, nedum, reipublicæ veteris amator, principatum detestaretur. Quot enim et quam effusis redditæ terrarum orbi ab Augusto pacis laudibus opus suum Florus coronaverit non omittendum est: « Ausus tandem Cæsar Augustus septin- » gentesimo ab urbe conditâ anno Janum geminum » claudere, bis ante se clausum sub Numa rege et » victâ primum Carthagine. Hinc conversus ad pacem » pronum in omnia mala et in luxuriam fluens sæ- » culum gravibus severisque legibus multis coercuit, » ob hæc tot facta ingentia dictator perpetuus et » pater patriæ. Tractatum etiam in senatu, an, quia » condidisset imperium, Romulus vocaretur; sed » sanctius et reverentius visum est nomen Augusti, » ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine » et titulo consecraretur [2]. »

Præterea, quod ad ipsam bellorum civilium narrationem pertinet, si omiserimus tritas et scholasticas Catonis et Bruti et Cassii laudes, solitos de Cicerone questus, immissas sine more contra Mar-

(1) Florus, ii, 16. — (2) Id. ii, 34.

cum Antonium injurias, et ceteros istiusmodi locos communes, agnoscemus Flori opinionem plerumque in dubio et ambiguo manere. Dissensiones quidem et domestica certamina detestatur, intestinis præliis vehementer maledicit, personas verò, quæ primas partes egerunt, velut per ambages timidus judicare solet, quasi se non satis perspicacem fortemve sentiat, ut litem componere audeat. Etenim, etiam dum antiquas Gracchorum aliorumque tribunorum seditiones memorat, postquam quidquid plebi Patribusque favet et contrarium est vicissim exposuit, is sermonis exitus est : « Inerat omnibus species » æquitatis [1]. » Haud aliter de Tiberio Graccho loquitur : « Hic, sive Mancinianæ deditionis, quia » sponsor fœderis fuerat, contagium timens et inde » popularis, sive æquo et bono ductus, quia depul- » sam agris suis plebem miseratus est, ne populus » gentium victor orbisque possessor laribus ac focis » suis exularet, quacumque mente rem ausus est » ingentem [2]. » Porro bellum sociale summâ cum detestatione deplorat, sed fortissimos fidelissimosque socios jus civitatis justissimè postulavisse fatetur [3]. Item manifesto Florus nescit utrum Marcum Lepidum è rogo Syllæ faces belli civilis accendentem vituperare an laudare debeat : « Cupidus rerum no- » varum per insolentiam Lepidus acta tanti viri » rescindere parabat : nec immerito, si tamen posset » sine magnâ reipublicæ clade [4]. » Quanto major

(1) Florus, ii, 1. — (2) Id. ii, 2. — (3) Id. ii, 5. — (4) Id. ii, 10.

etiam in Julio Cæsare judicando apparet ambiguitas ista, quanto major inconstantia! Quis enim discernere potest utrum Pompeio an Cæsari Florus faveat? « Nec illo ferebat parem, nec hic superiorem. Proh » nefas! sic de principatu laborabant, tanquam » duos tanti imperii fortuna non caperet [1]. » Eadem est de morte dictatoris hæsitatio : nunc in interfectores inclinare studiis videtur : « Sic ille qui » terrarum orbem civili sanguine impleverat, tan» dem ipse sanguine suo curiam implevit [2]; » nunc cædem a Floro vituperari credas : « Libertatem quam » maximè restitutam voluerunt, illo ipso parricidio » perdidere [3]; » et deindè hoc additur : « Ne pu» blici doloris oculos Brutus Cassiusque ferirent, » in provincias ab illo ipso quem occiderant Cæsare » datas concesserant. Sic vindicta Cæsaris dilata » potius quam oppressa est [4]. »

Nec tamen ultra modum mirandum est, si talis ambiguitas apud Florum invenitur : quippe quum maximos etiam viros nihil aliud esse quam fati ludentis instrumenta plerumque arbitrari videatur. Fati autem ipsius verè puerilem et frivolam imaginem sibi Florus proposuit. Etenim apud eum nullo modo antiquum Fatum illud, cæcum, inexorabile, sibi constans, immutabile reperias : verum perpetuo velut in scenam adducitur nescio quis tyrannus,

---

(1) Florus, ii, 12. — (2) Id. ii, 12. — (3) Id. ii, 16. — (4) Id. ii, 16.

omnipotens sanè, sed multiplex, inconstans, quasi levitatis humanæ particeps,

« mutabilis, albus et ater (1). »

Nunc, populi Romani defensor, custos, atque etiam propugnator, eum per maxima impedimenta ad famam et imperium erigit, omniaque sæpè præparat et expedit, ut certius majusque domi et militiæ res Romana crescat et amplificetur : « Hæc est prima » ætas et quasi infantia, quam habuit sub regibus » septem, *quadam fatorum industriâ* tam variis » ingenio, ut reipublicæ ratio et utilitas postulabat (2). » — Macedoniam Asia statim et regem Philippum » Antiochus excepit quodam casu, *quasi de industriâ sic adgubernante fortunâ* (3)... — *Quodam fato,* » quasi ita convenisset inter Pœnos et Macedonas » ut tertio quoque vincerentur, eodem tempore » utrique arma moverunt (4). » Nunc, versâ subito in contrarium tantâ benevolentiâ, Fatum illud, quale fingitur a Floro, maximis calamitatibus patientiam populi Romani et virtutes durè tentat et experitur. Bello Gallico et urbis incendio gentem exercet casuram ut altius surgat (5) ; non aliam ob causam ruit, Fato jubente, in Italiam Annibal et Romanæ clades accumulantur (6). Denique, postquam, ita hostibus perdomitis omnibus, major fuit Roma facta ut ullis viribus exteris opprimi posset, accidit ut Fatum

(1) Horace, *Epist.* II, 2, 189.
(2) Florus, I, 2. — (3) Id. I, 24. — (4) Id. I, 30. — (5) Id. I, 7. — (6) Id. I, 22.

operis sui pœniteret : itaque invidens populo, quem gentium principem fecit, ipsum illum in exitium sui armavit et in bella civilia dejecit [1]. Quod ad singulos viros attinet, quanto magis, si Floro credas, ludibrio sunt : quippe qui omninò et perpetuo è Fati libidine per vicissitudines jactentur, ita ut maximarum personarum certamen sæpè nihil aliud sit quam ludus Fortunæ sibi quasi spectaculum dantis. Ut unum, sed luculentissimum referam exemplum, quemadmodum plebs Circenses petit, ita Fatum « debitum par, » id est, Cæsarem Pompeiumque in Thessaliâ pugnaturos, flagitat [2].

Inde satis, ut opinor, manifestum est exiguum Floro parumque firmum fuisse animum. Attamen, quo res apertior sit, addere non inutile est quam facilè superstitiosa concipere quamque libenter in prodigiis memorandis commorari soleat. Cavendum est, credo, ne id Floro majori vitio detur, quum non solum apud veteres historicos et ipsum Titum Livium nimia hæc credulitas notanda sit, sed multo magis etiam ætate Flori vel apud clarissimos humanissimosque viros δεισιδαιμονίαν viguisse constet. Quis enim ignorat quam serio et accuratè Tacitus ipse, scriptor historiæ gravissimus, haud semel prodigia recenseat, et quam candidè Plinius vel somnia reformidanda esse vel phantasmata habere propriam figuram numenque aliquod profiteatur [3]. Nihilominus nobis

(1) Florus, ii, 13. — (2) Id. ii, 13.
(3) Plinii *Epistolæ*, i, 18. — vii, 27.

qui fuerint Flori mores requirentibus non omittendum esse arbitror quas ob causas etiam inter homines ad superstitionem pronos supersitioni ultra modum inserviisse videatur. Quotiescumque cladem quamdam miro Deorum monitu prædictam fuisse Florus memorat, prodigia locum talem obtinent ut multo longius quam clades ipsa narrentur. Pro exemplo sit inter alia prælii ad Trasimenum lacum pugnati expositio : « Nec de Diis possumus queri. » Imminentem temerario duci cladem prædixerant » insidentia signis examina et aquilæ prodire nolen- » tes, et commissam aciem secutus ingens terræ » tremor [1]... » Pugna contra quam brevissimè dicitur. Item animadvertendum est quam malè solitæ operis brevitati consentanea sit longula signorum Bruto Cassioque impendentem cladem nuntiantium narratio [2]. Necnon fit compluries ut prodigia a Livio prætermissa in breviario Flori accuratè exponantur : sic de bello Syriaco regis Antiochi hoc legitur : » Ad hoc cœlestes minæ territabant, quum humore » continuo Cumanus Apollo sudaret [3]. » Cujus rei nulla apud Livium mentio est. Postremo, si quod istiusmodi miraculum dubitans Livius revocavit, Florus rem, dubitatione omni sublatâ, quasi certam narrare non omittit. Multa alia mentis superstitioni deditæ documenta reperias : duo tantum addere operæ pretium est. Nempè, postquam narravit quomodo Remus occisus fuerit, hoc mirificum scribit :

(1) Florus, I, 22. — (2) Id. II, 17. — (3) Id. I, 24.

« Prima certe victima fuit, munitionemque urbis » novæ sanguine suo consecravit [1]. » Nec minus mirum est et superstitiosum quod de secundo bello Punico a Floro dicitur : « Quasi has inferias sibi Sa- » guntinorum ultimæ diræ in illo publico parricidio » incendioque mandassent, ita manibus eorum vas- » tatione Italiæ, captivitate Africæ, ducum et regum, » qui id gessere bellum, exitio parentatum est [2] ! »

Neque nimia credulitas modo apud Florum jure reprehendenda est, sed etiam ista propria scholastico homini putidæ eruditionis ostentatio : quippe quum nunquam sibi temperet quin vetustas puerilesque fabulas declamatoriè et intempestivè memoret. Vide exempli causâ hunc de exitio Corinthi locum : « Quantas opes et abstulerit et cremaverit hinc scias » quod quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur » incendio superfuisse comperimus. Nam et æris » notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit » ruina, quia, incendio permixtis plurimis statuis » atque simulacris, æris, auri argentique venæ in » commune fluxerunt [3]. » Atqui vel incautissimi ad credendum scriptores jampridem longe aberant ut arbitrarentur vasa Corinthia, quæ in tanto pretio apud Romanos erant, è massis ex auro et argento et ære mixtis hoc incendio et conflatis facta esse. Nos contra monet Plinius major Corinthios auctos opibus genus illud luxûs invenisse vel id ab aliis inventum secutos esse, deindè autem eam adpella-

(1) Florus, I, 1. — (2) Id. I, 22. — (3) Id. I, 32.

tionem etiam ad alia omnia signa tum propter materiæ pretium, tum ob præstantiam artis nobilia productam fuisse [1]. Nihilominus in laqueos talis somnii se Florus induit. Non minus insanit importunâ commemoratione portus marmorei et fontis Arethusæ in obsidione Syracusarum : « Longè illi » triplex murus, totidem arces, portus ille marmo- » reus, et fons celebratus Arethusæ [2]. » Præter id quod nusquam reperitur triplici muro totidemque arcibus defensam urbem esse, marmoreumque portum fuisse, ineptè conjungit Florus uno tenore muros, arces, portum marmoreum, et fontem Arethusæ, quasi ea omnia peræquè potuissent prodesse adversùs Romanorum arma et impetum. Eamdem falsam et jactantiorem eruditionem Floro in belli Samnitici narratione G. Grævius suo more acerrimè objicit. Nempè, quum Florus dixisset Fabium Maximum, captis jugis superioribus, in hostes subjectos detonuisse, subnectit : « Ea namque species fuit » ipsius belli quasi in terrigenas è cœlo ac nubibus » tela mitterentur [3]. » Cavit Florus « ne præter- « mitteret occasionem Gigantomachiam inculcandi. » Bellè ac tempestivè ! quasi omnes qui è superiore » loco pugnant sint Joves, et hostes in humiliore » loco sint Gigantes [4]. » Multa ejusdem ostentationis exempla jam ab optimis criticis notata amolior et amoveo : quædam tantum addere mihi in animo

(1) Plinii Majoris H. N., xxxiv, 2.
(2) Florus, i, 22. — (3) Id. 1, 12.
(4) J. G. Grævius, *in præfatione.*

est, quibus apertius sit Florum, vestigiis magistrorum suorum, id est, rhetorum insistentem, ex omni scientiâ temerè furari quidquid venditare possit, ut doctus videatur.

Modo quidem quam malè antiquâ et poeticâ fabulositate Florus usus sit monstrabatur : nunc de astronomiâ referre pauca operæ pretium est. Nunquam enim sibi Florus temperat quin depingat omnes solis vel orientis vel in mare cadentis vel deficientis species (1), cursum lunarem (2), sidera tonantia ac suos flexus tempestate significantia (3), cœli minas futurum prænuntiantes (4). Quod ad geographiam attinet, jam fusè et accuratè in quinto disquisitionis meæ capite explicavi quomodo eam Florus usque ad satietatem adhibere solitus sit, ut opus suum facilius ordinaret, transitiones sine magno labore reperiret, et declamatoriis regionum orbis totius, marium, Oceani, insularum, montium, lacuum, sinuum, sylvarum, jugorum descriptionibus enumerationibusque librum ornaret et amplificaret. Nunc adde quod in rebus geographicis non mediocrem locum tribuere voluisse Florus videtur historiæ naturali, cujus, quamvis parum cognitæ, ostentationem apud declamatores suos Seneca rhetor notavit (5). Etenim quam libenter Florus suo more, id est,

(1) Florus, I, 1. — I, 33.
(2) Id. I, 18. — I, 38.
(3) Id. II, 14.
(4) Id. I, 20.
(5) Senecæ *Suasoriæ*, III et IV.

plerumque pueriliter, rationem reddere conatur quemadmodum hic aut ille populus propriam ac peculiarem naturam sortitus sit! Nunc de Gallis Insubribus ita loquitur : « Alpina corpora humenti » cœlo educata habent quiddam simile nivibus suis : » quum mox caluere pugnâ, statim in sudorem eunt » et levi motu quasi sole laxantur [1]. » Nunc Gallo-Græcorum imaginem exprimit his verbis : « Gens » mixta et adulterata est : reliquiæ Gallorum, qui » Brenno duce vastaverant Græciam, orientem se- » cuti, in mediâ Asiæ parte sederunt: itaque, uti » frugum semina mutato solo degenerant, sic illa » genuina feritas eorum asiaticâ amœnitate mollita » est [2]. » Quotiescumque de septentrionalibus populis loquitur, dictitat eis atrox esse cœlum, periudè atrocia ingenia [3], verum iisdem molliorem plagam occupantibus ipsâ soli aerisque clementiâ subito robur elanguescere [4]. Quin ipsa vel plantarum vel rerum omnium, quæ singulis regionibus gignuntur, enumeratio scholasticæ Flori facundiæ multa suppetere solet. Tepentes Campaniæ fontes et amicos vitibus colles [5], Asiæ hiemales etiam rosas [6], florentes in Syriâ thuris et balsami sylvas [7], Asturiam auri, miniique et chrysocollæ et aliorum colorum feracem, venenum a Cantabris ex arboribus taxeis expressum [8], multaque ejusdem modi alia, indulgenter et intempestivè memorat. Pejore etiam osten-

(1) Florus, I, 20. — (2) Id. I, 27. — (3) Id. I, 36. — (4) Id. I, 37. — (5) Id, I, 13. — (6) Id. I, 24. — (7) Id. I, 38. — (8) Id. II, 33.

tationis genere, Florus, coarctati libri scriptor, in describendis animalibus ultra modum sibi placet. Elephantos imprimis omnibus è partibus haud semel considerat, ut in bello Tarentino : « Actum erat, » nisi elephanti, converso in spectaculum bello, » procucurrissent, quorum tum magnitudine, tum » deformitate, et novo odore simul ac stridore con- » sternati equi [1]... » Nunc loquitur de anguibus, qui, obtrito capite, postremum caudâ minantur [2]; nunc revocat quomodo miræ magnitudinis serpens posita apud Bagradam Reguli castra vexaverit : quod longis carminibus Silius Italicus explicavit [3]. Imò Florus non omittit dicere Siciliæ fretum, æstu violentum, fabulosis infame monstris esse [4] : haud aliter, ut Seneca rhetor in Menestrati cujusdam suasoria reprehendit, declamatores belluarum in Oceano nascentium magnitudinem effingebant et in Scyllâ Charybdique laborabant [5].

Attamen Floro non omnia vitio vertenda sunt : est ubi laudetur. Nempè innati illius animo mores multo meliores fuisse mihi videntur quam mens, a pueritiâ scholasticis et declamatoriis artibus corrupta. Aliquando, quamvis Florus panegyricum scriberet, illi contigit ut animus in justitiam æquitatemque naturâ pronus supra Romanam jactantiam solitasque laudatorum artes scanderet. Vir idem,

---

(1) Florus, I. 13. — (2) Id. I, 38.
(3) Silius Italicus, VI, 151. — Florus, I, 18.
(4) Florus, I, 18.
(5) Senecæ, *Suatoriæ*, I.

qui plerumque prælia memorat veluti si Romani semper justissimam belli faciendi causam habeant, interdum, propter nativam honestatem, se continere non potest quin Romanos suos vehementer vituperet, quoniam indigna tanto populo bella susceperint. De Corinthi ruinâ exclamat : « Hæc urbs (facinus » indignum!) ante oppressa est quam in numero » ceterorum hostium referretur [1]. » Bellum Numantinum cum indignatione deplorat : « Non temerè, » inquit, si fateri licet, ullius causa belli injustior [2]. » Fatetur propter solam nobilis vincendæ gentis cupidinem bellum Creticum gestum fuisse [3], et propter divitiarum amorem Cypron occupatam fuisse : « Sed » divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor » gentium populus et donare regna consuetus, » P. Clodio tribuno plebis duce, socii vivique regis » confiscationem mandaverit. » Denique non omittendum est quam severâ notâ in Crassum, Parthici belli auctorem, Florus animadverterit : « Nec de » Fortunâ queri possumus; caret solatio clades. » Adversis et Diis et hominibus, cupiditas consulis » Crassi dum Parthico inhiat auro, undecim strage » legionum et ipsius capite mulctata est [4]. » In hoc quoque laudanda est illa Flori probitas quod vehementer improbat vel Romanos duces qui per fraudem et insidias, non jure et apertis armis hostes domuerunt. Ut exempla proponam, odit Popilium istum, qui, conficiendi adversùs Viriathum et Lusi-

(1) Florus, I, 32. — (2) Id. I, 33. — (3) Id. I, 40. — (4) Id. I, 44.

tanos belli cupidus, hostium ducem per domesticos percussores aggressus est et hanc ei gloriam dedit ut videretur aliter vinci non posse [1]. Item Florus summâ cum detestatione Aquilio maledicit Asiatici belli reliquias conficienti, mixtis veneno fontibus ad deditionem quarumdam urbium. « Quæ res, ut maturam, » ita infamem victoriam fecit : quippe quum contra » fas Deorum moresque majorum medicaminibus » impuris in id tempus sacrosancta Romana arma » violasset [2]. » Jam monstravimus quam acriter non singulos quidem civilium bellorum actores, sed ipsa civilia bella detestetur : attamen dicere debemus Florum nullo modo hominibus propter magna morum vitia et flagitia infamibus parcere : nam odit omne apertum nefas manifestamque omnem turpitudinem, nec sibi temperat quin Tarquinios tyrannos, Appios Claudios, Saturninos, Marios, Sullas, Catilinas, Antonios Lepidosque abominetur. Contra viros magnos, non solum miris animi ingeniique dotibus excellentes, sed etiam mitioribus virtutibus, humanitate, benevolentiâ, temperantiâ præsertim insignes, laudat. Nam non ignorat propter afflictos luxuriâ, avaritiâ, crescente in dies dominationis et deliciarum cupiditate antiquos mores, degenerasse rempublicam et inde nata esse bellorum cædiumque civilium mala [3].

Neque, ut omninò Florus jus suum obtineat, prætermittendum est quod de hostibus exteris ali-

(1) Florus, I, 32. — (2) Id. I, 33. — (3) Id. I, 45.

quando rectè judicare sponte suâ videatur. Jam indicavimus Hispanos tantis laudibus haud semel a Floro fuisse ornatos ut critici quidam eum ex Hispaniâ oriundum esse voluerint. Etenim nunc in Punicis bellis enarrandis « nobilem armis virisque et bellatricem illam Hispaniam » Annibalis fuisse eruditricem et seminarium hostilis exercitus sine solitâ Romanorum scriptorum indignatione memorat[1]; nunc Lusitanos Numantinosque pro libertate dimicantes tam effusè miratur ut eum erga Romanos justo iniquiorem esse quidam haud immerito dicant[2] : « Macte este! inquit, fortissimam et meo » judicio beatissimam in ipsis malis civitatem! Ad- » seruit cum fide socios, populum orbis terrarum » viribus fultum tam parvâ manu ætate tam longâ » sustinuit. Novissimè maximo duce oppressa civi- » tas nullum de se gaudium hosti reliquit. Unus » enim vir Numantinus non fuit qui in catenis duce- » retur; præda, ut de pauperibus, nulla; arma ipsi » cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine. » Postremo Cantabros et Astures, immunes imperii totum orbem tenentis, contra Cæsarem Augustum fortiter, validè, prudenter pugnantes in lucem Florus protrahit, neque eos, defensâ libertate, rebelles fuisse dicit[3] : quod sanè arrogantiæ Romanæ est, quâ omnes latini scriptores laboraverunt. Majore etiam æquitatis documento Florus nulli contra Pœnos indignationi habenas immittit, neque tot et

(1) Florus, I, 22. — (2) Id. I, 32. — (3) Id. II, 33.

tantas in Carthaginem inexpiabili Romanorum odio cumulatas injurias pro parte suâ revocat : quippe quum semel neque rem hostibus vitio daturus in memorando prælio apud Trasimenum lacum pugnato de fraude punica loquatur : « Trasimenus » lacus, tertium fulmen Annibalis, ars nova punicæ » fraudis. Quippe nebula lacus palustribusque vir- » gultis tectus equitatus terga subito pugnantium » invasit [1]. » Quod ad Annibalem ipsum attinet, quamvis plerumque Florus vitiis scholam redolentibus inquinetur, illi bonam naturam sequenti evenit ut declamantium pericula feliciter evitaret. Etenim neminem fugit quomodo rhetores Annibalis fortunam utramque in suasoriis amplificare solerent, eorumque vestigiis insistens in satiris poeta Juvenalis in tritâ istâ materiâ sudaverit [2]. Nec mirum est, quum tantâ formidine summus vir Romanos implevisset, si nomen ejus vel detestandum vel deridendum, quoties majorum sententiis in senatu fuerat immixtum, toties in nepotum declamationibus resonaret. Quanto magis, ut opinor, laudandus est Florus quod tantum hostem neque immodicâ exsecratione neque pusillâ irrisione aggressus est.

Jam ad ipsum Flori stylum veniamus videamusque quomodo Floriana scribendi ratio scholæ alumnum perpetuo prodat istamque argenteæ ætatis declamationem, cujus crescentis in dies causas in quarto

---

(1) Florus, I, 22.
(2) Juvenalis *Sat.*, X, 147.

meæ disquisitionis capite exposui, sapiat. Apud Florum singillatim reperiemus quidquid jam ætati universæ generaliter objecimus, id est, omnia ista vitia quæ rhetorum officinas et artes redolent et ejus temporis propria sunt cujus quasi domini fuere rhetores et magistri. Cuilibet Florum vel obiter legenti occurrit in quoque ferè versu absolutum illud scriptorum mixtorum adulteratorumque genus, qui ex oratore et poetâ et philosopho conflati sunt, similes, ut Flori ipsius verbo utar, iis animalibus, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est[1]. Quemadmodum autem istiusmodi animalia in terrâ graviter spatiantur, et natando meris piscibus multo inferiora sunt, ita scriptores illi neque oratoris sinceros et elatos affectus, neque verè poeticum cultum non in verbo tantum, sed in re quoque nitentem, neque acutum et sapiens philosophi judicium habent. Iis omnia insolentia sunt, fictitia, fucata, turgida : quippe qui et sæculi et ingenii simul vitio a simplici rectoque dicendi genere abhorreant et se ipsi depravent. Apud Florum varios istos scatere et redundare errores nunc demonstrandum est.

Ante omnia notandum est quam mirificè Florus in consectandis argutiis et ventosis acuminibus sibi placeat : quippe qui jamdudum propter tot loca κακόξηλα, insana, μειρακιόδη, doctissimorum criticorum et imprimis G. Grævii, mordacissimi viri, obelis merito confossus sit : « Num sana sunt, exclamat Græ-

(1) Florus. I, 39.

» vius, quæ Florus de Gallis, qui Romam incende-
» rant, scribit, illos subito Camillum a tergo aggres-
» sum adeò cecidisse, ut omnia incendiorum vestigia
» Gallici sanguinis inundatione deleret[1]. » Multa alia istiusmodi simili ratione vituperat Grævius, cujus verba ipsa iterum ponamus. « Exagitatur a Plu-
» tarcho Hegesias in Alexandri magni vitâ, quod,
» quum narrasset eadem nocte natum Alexandrum,
» et Ephesiæ Dianæ templum deflagrasse, subjecerit,
» minimè id esse mirandum, quod Diana, quum in
» partu voluisset Olympiadi adesse, abfuerit domo.
» Tantum in hoc dicto frigus esse prædicat Plutar-
» chus ut extinguere posset ipsum incendium illud,
» quod templum delevit. Verum non minus frigida
» est sententia Flori, qui, quum inter prodigia re-
» tulisset Cumanum Apollinem sudasse, acutissimè,
» si Diis placet, adjecit: » « Sed hic faventis Asiæ suæ
» numinis timor erat[2]. » Quam putida et frigida omnia offendis, seu dicat de ingentibus Antonii navibus tantum pondus non sine gemitu maris et labore ventorum ferri[3]; seu, memorans commissam apud Trasimenum lacum aciem secutum terræ tremorem, hoc sibi objiciat : « nisi illum horrorem soli,
» equitum virorumque discursus, et mota vehemen-
» tius arma fecerunt[4]. « Quis ferat hunc locum per enormes figuras se proferentem : « Post illa duo
» clarissima urbium incendia, latè atque passim, nec
» per vices, sed simul, pariter quasi unum undique

(1) Florus, I, 8. — (2) Id. I, 24. — (3) Id. II, 20. — (4) Id. I, 22.

» bellum fuit; prorsus ut favillæ, quasi agitan-
» tibus ventis, diffudisse quædam belli incendia
» toto orbe viderentur[1]. » Quis non rideat has de piratis a Pompeio victis insanissimas argutias : « Ge-
» nus maritimum a conspectu maris longè removit
» et mediterraneis agris quasi obligavit : eodemque
» tempore et usum maris navibus recuperavit et
» terræ homines suos reddidit[2]. » Quid sibi volunt hæc incredibilia de Gallis verba : « Gallis quasi cote
» quadam populus Romanus ferrum suæ virtutis
» acuebat[3]. » Esset tolerandum, ut ait Grævius, si scripsisset Gallorum bellis quasi cote quadam virtutem Romanam acui : sed virtutis ferrum acuere non est sani scriptoris. Sed de his argutiis et acuminibus post Grævii præfationem pluribus disserere nihil attinet. Ultimum tamen, sed luculentissimum; ut opinor, addam exemplum. Vide enim vicesimum prioris libri caput : quippe quod totum ancipitibus vocabulis utatur et eadem verba miserrimè cavilletur : « Gallis insubribus et his accolis Alpium animi
» ferarum, corpora plus quam humana erant, sed
» experimento deprehensum est, quippe sicut pri-
» mus impetus eis major quam virorum est, ita se-
» quens minor quam feminarum. Alpina corpora
» humenti cœlo educata habent quiddam simile
» nivibus suis : quum mox caluere pugnâ, statim
» in sudorem eunt et levi motu quasi sole luxan-
» tur[4]..... »

---

(1) Florus, I, 33. — (2) Id. I, 39. — (3) Id. I, 19. — (4) Id. I, 20.

Quotiescumque oratoris quasi partes agere Florus conatur, ruit in sonora verba et aures implentia, sed nunquam animum, si illum attendas : nempè nullus subest sensus. Lege hunc incredibilem locum : « Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque » legati conflixere; sed acrius fuit cum ipso mari » quam inter se navibus bellum. Quinam ille hor- » ror, quum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, » naves, armamenta confligerent! Adde situs ipsius » formidinem, vergentia in unum, hinc Hispaniæ, » hinc Mauritaniæ littora, mare et intestinum et » externum imminentesque Herculis speculas, quum » omnia undique prælio et tempestate sævirent[1]. » Quot sesquipedales sonoræque voces! Quot verborum præstigiæ! Etenim tanto strepitu nihil illud significare voluit nisi Didium Varumque quum tempestas coorta esset pugnasse. Nunc vaga et tumultuaris oratio, contenta locis speciosis, sine ullo tenore extenditur[2]; nunc falsâ elegantiâ laborat, quæ, procul a veritate sejuncta, ut ait Quintilianus, inservit miro verborum fastidio et unam sententiam sub innumerorum verborum istorum mole opprimit. Vide, exempli causâ, quam vocabulorum copiam in narratione belli a Pompeio contra piratas gesti Florus præ se ferat : « Super omnes æquoris portus, » sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, pe- » ninsulas, quidquid piratarum fuit quadam indagine » inclusum et oppressum est[3]. » Adde hunc non

(1) Florus, II, 13. — (2) Id. I, 13. — (3) Id. I, 39.

minoris ad rem monstrandam pretii locum : « Itaque » ille, ablegato equo, similis furenti, primam in » aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare » signiferos, orare, hortari, per totum denique ag- » men oculis, manibus, clamore volitare[1]. » Porro Florus usque ad satietatem variis propositionum et orationis formis, quas figuras appellant, utitur : verum apud illum in verbis tantummodo sunt, ambitiosumque sonum et fragosum, cui res plerumque vaga vel inanis subest, reddere solent, nedum animum vehementer et naturaliter affectum sequantur. Ita nunc indignationem simulat : « O nefas! — Hor- » ribile dictu! — Quis ferat! — Quis credat! — In- » fandum! — Pudet dicere! — Facinus indignum! » Nunc indulget miserationi, ut in hoc de captis Veiis loco : « Hoc tunc Veii fuere : nunc fuisse quis me- » minit? Quæ reliquiæ? quod vestigium[2]. » Quod ad admirationem attinet, jam indicavi quam frequentibus apostrophis, interrogationibus, exclamationibus Romanos suos quasi in scenam adducat. Adde quod modum ultra omnem, rhetorum more, sententiosum dicendi genus usurpat et in captandis sententiis, semper inauditis sonorisque, plerumque etiam putidis et inanibus, sæpe totus est. Præsertim in fine rei cujusdam narratæ legentibus hæ sententiæ occurrunt : quippe quæ quasi clausulæ sint. Vide exempli causâ quomodo Cimbrici belli expositio absolvatur : « Frequens in spectaculo rumor victoriæ Cimbricæ

(1) Florus, II, 13. — (2) Id. I, 6.

» quod in gladiatorio munere fieri solet « feliciter! »
» dixit. Quo quid admirabilius, quid insignius fieri
» potest? Quippe velut elata montibus suis Roma
» spectaculo belli interesset, uno eodemque mo-
» mento, quum in acie Cimbri succumberent, po-
» pulus in urbe plaudebat[1]. » Item bellum Jugurthinum hâc vanâ et tumidâ sententiâ claudit : « Sed
» ille quoque, quamvis victus ac vinctus, vidit ur-
» bem, quam venalem et quandoque perituram, si
» habuisset emptorem, frustra cecinerat. Jam, ut
» venalis fuisset, habuit emptorem; quum illum
» evaserat, certum erat non esse perituram[2]. » Istiusmodi quoque sententiis utitur in transitione ad rem novam : sic, postquam memoravit Carthaginis et Corinthi ruinas, ad bella, quæ sequuntur, his verbis, de quibus jam disputavi, narranda se confert : « Post illa duo clarissima urbium incendia latè
» atque passim, nec per vices, sed simul pariter
» quasi unum undique bellum fuit; *prorsus ut fa-*
» *villæ quasi agitantibus ventis diffudisse quædam*
» *belli incendia toto orbe viderentur*[3]. » Quin, quotiescumque summum quemdam virum in lucem protrahit, non sibi temperat quin in frigidam putidamque sententiam incidat. Brutus manu suâ filium Tarquinii regis occidit superque ipsum mutuo vulnere exspiravit, planè quasi *adulterum ad Inferos usquesequeretur*[4]. Postumius, memor Castoris atque Pollucis, qui in candidis equis apud Regilli lacum

(1) Florus, I, 36. — (2) Id. I, 34. — (3) Id. I, 33. — (4) Id. I, 4.

auxilium Romanis dedisse ferebantur, eis templa sacravit, *ita reddens quasi commilitonibus Diis stipendium*[1]. Lucius Quinctius, dictator ab aratro arcessitus, intra quindecim dies bellum cepit peregitque, prorsus ut *festinasse ad relictum agri sui opus videretur*[2] : idem hostes victos *more pecudum* sub jugum misit. Curius Dentatus, in bello contra Italiæ populos, tantum hominum agrorumque subjecit, « ut in utro plus esset dux ipse vix posset æs- » timare qui vicerat[3]. » Rex Antiochus virginum puerorumque delectus habebat, *ne non aliquo ducem genere agere videretur*[4].

Sæpe autem hoc genus sententiarum commendatur antithetis, in quibus Florus multus est et ad satietatem prolixus. Quædam referamus exempla. Jam vidimus quomodo de morte Cæsaris locutus sit : « Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine » implevit tandem ipse sanguine suo curiam im- » plevit. » Simili scribendi ratione, postquam memoravit servos a Sexto Pompeio armatos fuisse hæc addit : « O quam diversus a patre! Ille Cilicas ex- » stinxerat : hic secum piratas navales agebat[5]. » Marius et Sylla, *vi patriam vicissim reposcentes, unde vi expulsi sunt*, ita a Floro memorantur : « Æquiore animo utcumque ferrem, si plebeii duces » aut, si nobiles, mali saltem ducatum sceleri præ- » buissent. Tum vero, qui viri! qui imperatores!

---

(1) Florus, I, 5. — (2) Id. I, 5. — (3) Id. I, 10. — (4) Id. I, 24. — (5) Id. II, 17.

» Decora et ornamenta sæculi sui, Marius et Sulla, » *pessimo facinori suam etiam dignitatem præbue-* » *runt*[1]. » Servi in Siciliâ rebellantes, qui « per » fugitivarios abstrahi debuissent, prætorios duces » profugos prælio ipsi sequebantur. » Perpenna, qui tandem eos vicit, fuit de servis ovatione contentus, « ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret[2]. Multa alia istiusmodi in quaque ferè paginâ reperias.

Præterea aliquando fit ut Florus, talibus sententiis argutiisque indulgens, in hanc rhetorum cadat æmulationem, quæ obscuris gaudeat. Vide quid de morte Bruti et Cassii scripserit : « Quis sapientissimos ac » fortissimos viros non miretur ad ultimum non » suis manibus usos? nisi hoc quoque ex persua- » sione sectæ fuit, ne violarent manus, sed in amo- » litione fortissimarum piissimarumque animarum » judicio suo, scelere alieno uterentur[3]. » Adeo ingeniosè hoc a Floro efformatur ut fatear me non intelligere quid sibi scelus illud alienum velit. Obsecro, an non perspicacissimus merito putetur qui primo obtutu intelligat quid significent hæc de medicis vulnus Catonis curantibus verba : « Ausi virum » medici violare fomentis[4]. » Item an non delicatis auribus et acuto judicio eum esse oportet qui illico percipiat istum locum de Q. Mucio Scævolâ pontifice, qui proscriptus a Mario in ipso Vestæ templo periit : « Amplexus aras, tantum non eodem igne

(1) Florus, ii, 8. — (2) Id. ii, 6. — (3) Id. ii, 17. — (4) Id. ii, 13.

» sepelitur[1]. » Neque solum istiusmodi loci obscuri sunt propter putidam cogitationis ipsius inanitatem, sed quoque ob adeò fractam verborum compositionem « ut membrorum breviorum contextu » resultent et sonum reddant pæne puerilium crepi- » taculorum[2]. » Adde quod Florus judiciis et auribus obtemperans ætatis illius, quâ, ut ait Tacitus, exigitur ab oratore etiam poeticus decor, in cæcam et inconsultam poetarum imitationem sæpissimè ruit. Jam inde ab initio doctissimi viri, qui interpretando Floro operam navaverunt, notaverunt poeticum tumorem istum : quippe quo toties breviarium carmen solutum esse videatur. Petrus Burmannus dicit : « Florus sæpius poeticè quam humanè loqui- » tur[3]; » et eodem modo Vinetus : « Multa poetica » hic homo interserit et miscet[4] » — haud aliter putat Rupertus : « Tumor poeticus, ad quem jure » bonus historicus erubesceret[5]. » Maximè enim istam poetarum æmulationem ostendunt tot et tam verbosæ comparationes, quibus Florus laborat : « Igitur, inquit, victor Italiæ populus Romanus » quum ad fretum usque venisset, more ignis, qui » cunctas populatus incendio silvas interveniente flu- » mine abrumpitur, paulisper substitit[6]. » Quo similitudinum in genere Florus fastidiosè placere sibi vi-

(1) Florus, Id. ii, 9.
(2) Quintilianus, ix, 4, 66.
(3) Burmannus ad Petronium, ch. CXXIII.
(4) Vinetus ad Florum, 34, 5.
(5) Rupertus ad Florum, i, 13, 17.
(6) Florus, i, 22.

detur : quippe qui perpetua bella ignibus et incendiis, duces autem personasque, qui primas partes egerunt, facibus et fulguribus æquiparare soleat. Innumera nobis tam divitis venæ specimina occurrunt. Civiles motus semper, tribunis plebis ducibus, exarsere[1]. Trebia, Ticinus, lacus Trasimenus, Cannæ, non victoriæ, sed fulmina fuere Annibalis[2]. Ut exstincta parum fideliter incendia majore flammâ reviviscunt, ita Mithridates de integro bellum haud semel renovavit[3]. Postquam Drusus domestico scelere oppressus est, « eadem fax, quæ illum cremavit, socios in » arma et oppugnationem Urbis accendit[4]. » Item fax illius motus, quem concitavit, Syllâ mortuo, M. Lepidus, ab ipso dictatoris rogo exarsit[5]. Dominandi cupidine quasi furialibus in exitium reipublicæ facibus Cæsar et Pompeius armati sunt[6]. Post pugnam Pharsalicam acrius atque vehementius thessalici incendii cineres recaluere[7]. Quid est aliud Antonius quam fax sequentis seculi[8]? Nec minus frequentes et insignitæ sunt apud Florum imagines, quibus homines animalibus assimilantur. « Quem- » admodum, inquit, maximè mortiferi morsus so- » lent esse morientium bestiarum, sic plus negotii » fuit cum semirutâ Carthagine quam cum integrâ[9]. » Piratæ, quos vicit Pompeius, similes esse dicuntur animalibus iis, quibus aquam et terram incolendi gemina est natura[10]. Mithridates æquiparatur an-

(1) Florus, ii, 2. — (2) Id. i, 22. — (3) Id. i, 38. — (4) Id. ii, 5. — (5) Id. ii, 10. — (6) Id. ii, 12. — (7) Id. ii, 12. — (8) Id. ii, 13. — (9) Id. i, 31. — (10) Id. i, 39.

guibus, qui, obtrito capite, postremum caudâ minantur[1].

Permultis aliis locis Florus non solum in incredibilem audaciam, sed quoque puerilitatem translationum poeticarum, quæ a brevitate compendiosæ narrationis prorsus absonæ censendæ sunt, incidit. Quarum jam satis amplam messem fecimus : superest tamen ut uno et altero exemplo monstremus quam prava, etiam in eodem enuntiato, metaphorarum commutatio sæpe fiat. Etenim nonne vitium illud vehementer vituperandum est in procemii fine ubi repugnare inter se videntur hæc verba « *consenuit, decoxit, movit lacertos, reviruit.* » Pejor etiam propter easdem culpas est hic de Punico bello secundo locus, quem G. Grævius, accuratissimus censor, merito notavit : « Ubi semel se in Hispaniâ » movit illa gravis et luctuosa vis et tempestas, » destinatumque Romanis jam diù fulmen Sagun- » tino igne conflavit, statim quodam impetu rapta, » medias perfregit Alpes, et in Italiam ab illis fabu- » losæ altitudinis nivibus, velut cœlo missa, des- » cendit[2]. »

Imò hæc inconsulta et fastidiosa poetarum æmulatio toties apud Florum agnoscitur, non solum quod colorem sententiarum, nitorem descriptionum, comparationes ingeniosas, dicendi genus frequentiâ imaginum illustre captet et sectetur, sed etiam quia latinorum vatum, qui maximâ gloriâ famâque lucent,

(1) Florus, I, 38. — (2) Id. I, 22.

imitationi adeò serviliter indulget ut eos sæpè ad verba repetat. Neque id mirum est, quum, ut ait ille æqualium scriptorum defensor, Aper, exigatur etiam ab oratore poeticus decor ex Horatii et Ovidii et Virgilii et Lucani carminibus assumptus (1). Quapropter frequentissimè in Floriano libro per declamatorium tumorem nunc quasi per nubilum, nunc clarè verba tantorum virorum apparent. Etenim nonne cuilibet hæc apud Florum legenti : « quamvis » toto orbe divisa, tamen qui vinceret, habuit Britannia, » sponte suâ ad labra veniat Virgilii versus :

Et penitus toto divisos orbe Britannos (2).

Apud Florum reperitur « triumphatum mare, » apud Virgilium, « triumphata Corinthus (3). » Hic invenias « opaca locorum (4), » illic « diversa gentium terrarumque (5). » Alter ait : « Afflat urbem terror re- » gius (6); » alter verò scripsit :

Nosque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis (7)...

De Siciliæ situ talia refert Florus : « Mox quum vi- » deret in proximo prædam quodam modo Italiæ » suæ abscisam et quasi revulsam (8)... » Manifesta est, ni fallor, Virgilii imitatio :

---

(1) Tacitus, *in dialog. de orat.*, xx.
(2) Virgilius, *Eclog.*, i, 67. — Florus, i, 39.
(3) Florus, ii, 13. — Virgilius, *Æneid.*, vi, 837.
(4) Virgilius, *Æneid.*, 2-725.
(5) Florus, i, 39.
(6) Florus, i, 39.
(7) Virgilius, *Æneid.*, iii, 48.
(8) Florus, i, 18.

Hæc loca, vi quondam et vastâ convulsa ruinâ
Dissiluisse ferunt,...
Hesperium Siculo latus abscidit (1),...

Horatii quoque verba sui juris Florus facit. Cujus hæc apud Florum legentis : « Et amici vitibus montes, » animo non statim recurrit Flacci versus :

Et amicus Aulon fertili Baccho (2) ?

In Floro invenies « ripæ mâris, » in Horatio : « Æquoris trementes verbere ripæ (3). » Necnon aliquando fit ut Florus Ovidii vestigiis insistere consulto videatur. Ait Florus de L. Quinctio : « Quum patricium virum » innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehen- » dit (4)... » Scripserat Ovidius :

Aut pastor baculo, stivâve innixus arator (5).

Dixit Florus : « Senatus Druso cognomen ex pro- » vinciâ dedit. » Comparetur cum hoc Ovidii versu :

Et mortem et nomen Druso Germania fecit (6).

In Augusti consecratione apud Florum videbis : « Tractatum etiam in senatu an Romulus vocaretur, sed sanctius et reverentius visum est nomen Augusti. » Nonne simillimum est quod Ovidius scripsit :

---

(1) Virgilius, *Æneid.*, i, 250.
(2) Florus, i, 11. — Horatius, *Carmina*, ii, 6, 18.
(3) Florus, i, 11. — Horatius, car. III, 27, 23.
(4) Florus, i, 5.
(5) Ovidius, *Met.*, viii, 218.
(6) Florus, ii, 30. — Ovidius, *Fas.*, i, 597.

Sancta vocant Augusta patres : augusta vocantur
Templa (1).....

Lucanum autem præcipuè a Floro lectum neque recto semper judicio adhibitum fuisse Meinertus in dissertatione, de quâ jam locutus sum (2), abundè demonstravit : quippe quum sexaginta se collegisse versus tradat qui in Florum transierint. Quos non quæsiturus sum : sed exempli causâ quædam in comparationem adducere operæ pretium est. Nonne Lucanum ipsum legere credas : « Nec hic ferebat » parem, nec ille superiorem : »

Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem (3)...

Florus ait : « Sic de principatu laborabant, tanquam » duos tanti imperii fortuna non caperet. » Totidem ferè verbis sententiam hanc expressit poeta :

Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem
Non cepit fortuna duos (4)...

Vide et hunc Flori locum : « Omnia felicitatem Cæ- » saris sequebantur. Aliquid tamen adversùs ab- » sentem ducem ausa fortuna est. » Nonne redeunt in memoriam Lucani carmina :

Non eadem belli totum Fortuna per orbem
Constitit : in partes aliquid sed Cæsaris ausa est (5).

---

(1) Florus, ii, 34. — Ovidius, *Fas.*, i, in fine.
(2) Meinerti Dissertatio in Annalium Vindobonensium volumine octavo et vicesimo.
(3) Lucanus, i, 125. — Florus, ii, 13.
(4) Lucanus, i, 110.
(5) Lucanus, iv, 402.

Quis non agnoscit effectum esse è Lucani versibus quod ita Florus memoravit : « Rates, quales inopiâ » navium fecerant, nova Pompeianorum arte Cilicum » actis sub mari funibus captæ quasi per indaginem. » Duas tamen æstus explicuit. Una in vadis hæ- » sit... »

Sic Lucanus rem cecinit :

At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiquâ parat arte Cilix, passusque vacare
Summa freti medio suspendit vincula ponto,
Et laxas fluitare sinit religatque catenas
Rupis ab Illyriæ scopulis ; nec prima nec illa
Quæ sequitur tardata ratis, sed tertia moles
Hæsit et ad cautes adducto fune secuta est (1).

Haud aliter verba Lucani : « Pompeius, Fortuna, tuus (2)... » in mente habebat Florus, quum scriberet : « Titulos gloriæ Pompeio suo Fortuna quæ- » rebat (3). » Nonne succurrit hic versus :

Et damnata diù Romanis Allia fastis (4),

quum eadem de clade sic Florus loquatur : « Itaque » hanc diem fastis Roma damnavit (5). » Adde quod levissimus imitator etiam errores a Lucano commissos ad verba repetat. Etenim, quum ceteri scriptores Ardeæ Camillum exulasse tradant, « Lucanus » eum Veios habitasse dicit, quod Florum (6) quoque

(1) Lucanus, iv, 449.
(2) Lucanus, viii, 730.
(3) Florus, ii, 13.
(4) Lucanus, vii, 409.
(5) Florus, i, 7,
(6) Lucanus, 5, 28. — Florus, i, 17.

» referre rectè intellexit Salmasius et jam ex apertis
» codicis Bambergensis vestigiis certissimè restitu-
» tum est [1]. »

Abundè est ut jam nemo etiam rapidissimâ Flori lectione decipiatur, et sententias minutas puerilesque pro grandibus et magnificis omniaque vitiosa pro sanis habeat, et istum ex historico et poeta et rhetore mixtum dicendi genus tanquam sublime inconsultis laudibus efferat. Cavendum autem mihi est ne acerbus obtrectator esse videar, ideoque fatendum in illo turbulento Flori rivulo vehi interdum satis magni pretii lapillos, id est, ut minus figuratè loquar, quædam, etsi declamatoris officinam redolentia, approbatione memoriâque non indigna nobis occurrere. Nempè fit ut etiam in hac arte scholasticâ nonnullæ, quanquam leves et rhetoricæ, virtutes emineant. Ergo non infitiandum est aliquando Floro evenire ut simul concisam et benè resultantem et floridam orationem satis feliciter misceat et temperet, sententiarumque non mediocrem audaciam et nitorem inveniat. Quapropter, ut omittam laudatores et admiratores Flori ultra modum omnem breviario faventes, inter quos præcipuus apud Gallos fuit vir elegans et concinnus Henault [2], Florus gravissimo eloquentissimoque scriptori, Secondato illi nostro, non solum placuit, sed etiam (qui certè magnus

(1) Otto Jahn, *in præfat.*, xlviii.
(2) *Mémoires de l'académie des inscriptions et belles-lettres*, tome xxviii, p. 611.

honor est) quædam imitanda suppeditavit. Non omnia, quæ magnus ille noster historicus a Floro desumpta quasi incredibili ingenio suo fecundavit, sed maximè insignia referemus. Id Florus, postquam Lucretiæ stuprum memoravit, monet : « Tam-
» diu superbiam regis populus Romanus perpessus
» est, donec aberat libido. Hanc ex liberis ejus im-
» portunitatem tolerare non potuit [1]. » Idem Secondatus mirabiliter explicat : « Sextus, en violant
» Lucrèce, fit une chose qui a presque toujours fait
» chasser les tyrans d'une ville où ils ont commandé;
« car le peuple, à qui une action pareille fait si bien
» sentir la servitude, prend d'abord une résolution
» extrême [2]. » Florus, de Mithridate loquens, dicit repulsum victumque regem non eâ re frangi, sed incendi [3]. Cujus animo non recurrunt notissima Secondati verba : « C'était un roi magnanime, qui
» dans les adversités, tel qu'un lion qui regarde ses
» blessures, *n'en était que plus indigné* [4]. » Neque erga Florum ingratè se Secondatus gessit : quippe qui in fragmento, quod de bono judicio scripsit, quasdam Flori sententias laudet. Sic illi gratulatur quod quidquid peccavit Annibal his paucis verbis optimè monstravit : « Quum victoriâ posset uti,
» frui maluit [5]. » Nec minus feliciter quid fuerit

---

(1) Florus, I, 1. — (2) *Grandeur et décadence des Romains*, I.
(3) Florus, I, 38. — (4) *Grandeur et décadence des Romains*, VII.
(5) *Notice de Villemain sur Florus :* « Cité dans le XIIe siècle,
» par Vincent de Beauvais, il a été dans le XVIIIe fort admiré par
» Montesquieu. On peut même dire que le grand et spirituel
» Montesquieu a pris parfois quelque chose des tours vifs et de
» la concision brillante de Florus. »

Macedonicum bellum Florum ostendisse arbitratur : « Introisse, victoria fuit [1]. » Addit jam totam futuram Scipionis vitam quasi nobis spectandam offerri, quum Florus hæc dicat : « Hic erit Scipio, » qui in exitium Africæ crescit [2]. » Etenim videre tibi videaris surgentem adolescentulum et humanæ magnitudinis propemodum excedentem formam. Ego quidem illis laudibus a tanto viro datis assentior : imò fateor multas alias ejusdem modi, id est, ingeniosæ et splendidæ brevitatis sententias cuilibet Florum legenti sæpius occurrere : attamen illud non sine exceptione concedo. Nempè ea est Floro ex omni loco furandi consuetudo, ut plerumque non cavere non possim ne graculum pavonis pennis ornatum laudem. Ut exemplum in promptu positum referam, idem egregius rerum Romanarum crescentium decrescentiumque scriptor hæc Flori de Annibale verba haud immerito miratur : « Profugus ex » Africâ, hostem populo Romano toto orbe quære- » bat [3]. » Virum autem doctissimum (nescio quomodo) præteriit, illud omne Tito Livio a Floro surreptum fuisse : « Toto orbe, ait Livius, terrarum » quærens aliquos Romanis hostes. »

Verùm non aliquot modo singulares sententiæ vel figuræ apud Florum dignæ sunt quæ probentur : sed præcipua Floriani styli laus in his narratiunculis, quibus opus scatet, esse mihi videtur. Primum enim eo commendantur quod, quamvis concisa, canora

(1) Florus, I, 23. — (2) Id. I, 22. — (3) Id. I, 24.

oratio est et effusa quodamque impetu præceps ruit. Unum satis sit exemplum excerpere : vide quomodo Mucii Scævolæ facinus memoretur : « Regem per » insidias in castris ipsius aggreditur; sed, ubi frus- » trato circa purpuratum ejus ictu tenetur, arden- » tibus focis injicit manum terroremque geminat » dolo : « En ut scias, inquit, quem virum effugeris : » idem trecenti juravimus; » quum interim (im- » mane dictu!) hic interritus, ille trepidaret, tan- » quam manus regis arderet (1). » Hoc quoque sine laude non prætermittendum est quod, etsi brevitas in Flori narrationibus regnat, auctor tamen sæpè non omittit quidquid haud nescire lectoris interest. Pro exemplo sit inter alia Catilinariæ conjurationis brevis et satis apta, ut opinor, expositio (2).

Postremo adde quod inter tot comparationes translationesque, quarum plurimas, ut putidas tumidasque, jure Floro vitio dedimus, quasdam vividas nitentesque interdum invenias. Unde inferre licet huic ingenio scholasticis et declamatoriis artibus corrupto non mediocrem res imaginandi vim naturaliter inesse. Non contemnendas certè sortitus erat dotes, quæ aliquando, omisso vel superato tumore solito, bonâ luce splendescere videntur, ut quibusdam locis apparebit, eo præsertim quo vivis imaginibus monstrat Pompeianis, Pompeio mortuo, egregios duces non defuisse : « Nec reliquias diceres, » sed integrum bellum. Sparsæ magis quam op-

(1) Florus, I, 4. — (2) Id. II, 11.

» pressæ vires erant. Auxerat sacramentum ipsa » clades imperatoris, nec degenerabat ducum suc- » cessio. Quippe satis amplè sonabant in Pompeiani » nominis locum Cato et Scipio [1]. » Vide quoque exempli causâ quam nobili modo Marium ab Africâ Romam redeuntem et carcere, catenis, fugâ, exsilio majorem factum Florus in medium protrahat [2].

Sed satis jam de Floriano stylo dictum esse arbitror : nunc restat ut quædam de verborum ipsorum latinitate et conformatione adjiciamus.

---

(1) Florus, ii, 12. — (2) Id. ii, 8.

CAPUT SEPTIMUM.

CUJUS LATINITATIS VERBIS FLORUS UTATUR.

Fuerunt qui Flori latinitatem, tanquam elegantem et planè Romanam et Augustei ævi munditie dignam laudarent : sed, si verborum, quibus utitur, indolem, exemplis quibusdam adhibitis, paulo attentiùs recensuerimus, facillimè refutabuntur. Equidem arbitror tot verba Ciceronis et Augusti tempore inaudita, tot et tam novas verborum significationes, tam singulari modo conformata enuntiata cuilibet Florum vel obiter legenti sæpiùs occurrere ut ex hâc, quanquam rapidâ, recognitione jam corrupta et deflorescens argenteæ ætatis lingua expeditè agnoscatur. Satis amplam verborum, quæ ab optimi temporis scriptoribus non dicuntur, messem in Floro feci : luculentissima adscribo exemplà.

Dixit Florus Tarentinum bellum *Italiam consummasse*, id est, integram sub Romanorum potestatem redegisse (1). Illam autem translationem petitam ab his, qui multas minores summas colligunt et in unam redigunt, alias non ante Columellam reperias (2).

Haud semel Florus « *aliquem lapidare* » pro

(1) Florus, I, 13.
(2) Columella. III, 9.

« lapidibus obruere » scripsit[1]. Apud aureæ latinitatis auctores, ut apud Titum Livium, « lapidavit et » lapidatum est » pro « lapidibus pluit » invenitur. Sed non dubium est deindè huic verbo eam novam addictam esse significationem. Vide Suetonium in Caligulæ vitâ : « Quo defunctus est die, lapidata » sunt templa[2]. » Eumdem non ante Suetonium legas hoc quod Florus dixit : « *Incivilius se efferre,* » id est, « supra æqualitatem civium[3]. »

Ex Lucano tantum et Statio et Senecâ tragico potest aliquo modo firmari « mundus » pro « orbe terrarum. » « In extremis, ait Florus, finibus *mundi* » arma Romana peregrinabantur[4]. » Uno cum Petronio scribente : « Jam Giton formâ mirabili *exar-* » *maverat* nautas[5], » consentit Florus, quum dicat : « Filium mater Veturia lacrymis suis exarmavit, » id est, « placavit[6]. »

Item apud Augustei ævi scriptores non tibi occurrat « litare » pro « sacrificare, » ut in hoc Flori loco[7] : « Nihil interim per id omne tempus resi- » duum crudelitatis fuit in captivos sævientibus ! » litare Diis sanguinem humanum. » Litare enim, ut notavit Macrobius, significat sacrificio facto pla-

---

(1) Florus. I, 17.
(2) Suetonius, in *Caii Vita*. V.
(3) Id., in *Titi Vita*, VI.
(4) Florus, II, 11.
(5) Petronii *Sat.* CV.
(6) Florus, I, 17.
(7) Id. I, 37.

care numen[1]. Attamen in tragico Senecâ legimus :

« Plura non habui, dolor,
» Quæ tibi litarem (2).

Expugnari non tantum urbes Florus dicit, sed et homines victos : « Terrâ marique Pœnos expugna-
» vit[3]. » Recentiorum solummodo illa locutio est : sic apud Justinum invenitur : « Gangaridas, cæsis
» eorum exercitibus, expugnavit[4]. » Quod è Græcâ in latinam linguam transit : nam apud Thucydidem Xenophontemque legitur : ἐκπολιορκεῖν τινα[5].

» Piissimus » quod Cicero velut novum et inauditum vituperat[6] Florus habet[7]; nec melius pro
» morbo » reperitur ægritudo corporis : nam veteres tantum de animo dicunt quod de corpore Florus dicit [8].

Porro apud Florum nonnulla sunt quæ ne recentiorum scriptorum quidem exemplo firmantur. Scripsit « Decem annos *traxit* (pro : *duravit*) ista domi-
» natio[9]. » Desideratur auctoritas aliorum qui sic loquantur. Haud aliter vituperandum est quod de Mario Florus dixit : « Catenæ, exsilium, *horrificaverant* dignitatem Marii[10]. » Haud immerito G. Græ-

---

(1) Macrobius, iii, 5.
(2) Senecæ in *Medeâ*.
(3) Florus, i, 18.
(4) Justinus, *de Partheniis*. xii, 8.
(5 Thucydides, v, 32. — Xenophon, *Mem.* i, 6, 9.
(6) Cicero, *Philipp.* 13, 19.
(7) Florus, ii, 17. — (8) Id. *ibid.* — (9) Id. ii, 13. — (10) Id. ii, 9.

vius verbum illud acerrimè aggressus est. Est enim quasi Florus scripsisset : « admirabiliorem fecerant « Marium et quodam quasi sacro horrore auxerant. » Noster existimavit se magnâ cum elegantiâ novam posse voci significationem imponere : nam vulgo non aliud est *horrificare* quam metum alicui afferre, sicut apud Virgilium :

> Multaque præterea vatum prædicta virorum
> Terribili monitu horrificant (1).

Alias incredibili quoque significatione a Floro dicitur *horror terræ* (2) : quippe quod pro *tremore soli* sit. Jure Salmasius negat illud ex ullo idoneo auctore linguæ latinæ posse ostendi. Nec melius nec sanius est quod de Decio se devovente memoratur : « ut novum ad victoriam iter sanguinis sui semita » aperiret (3). » Parum latinè scribitur, imo ne humanè quidem. Quid enim est *sanguinis semita iter aperire ?*

Adde hunc de Mario Syllâque locum : « Duces du- » catum præbent sceleri (4). » Quod non solum non elegans est, propter rudem istam repetitionem, sed etiam inusitatum puræ latinitatis auctoribus, quum iis ducatus nihil aliud sit quam ipsa dignitas ducis. Neque minus vituperanda sunt hæc verba : « Perfidum glacie flumen equitatur (5). » Flumen aut campum equitare jam pessimæ linguæ esse mihi vide-

---

(1) Virgilius, *Æneid.* iv, 404.
(2) Florus, i, 22. — (3) Id. i. 9. — (4) Id. ii, 9. — (5) Id. i, 37.

tur, sed equitari campum et flumen omninò non latinum esse constat. Pro « exsilio » apud Florum invenitur exsulatio [1], sed nusquam alibi.

Hoc quoque Florianæ latinitati vitio dandum est quod sæpissimè occurrunt verba quæ vel apud audacissimos recentioris ætatis poetas vix tolerabilia essent. Nempè reperiuntur « *cœlestes minæ,* » id est, « prodigia in cœlo visa, » et « æstivæ deliciæ [2], » id est, locus in quem æstate secedimus, et « *Rhodanus impiger fluminum* [3], » id est, « rapidissimum flumen, » et « intolerans [4], » id est, « intolerabile. » Non in hostes se mittit, sed *se jaculatur* consul Decius [5]. Quod idem est, ait Salmasius, ac si Græcus diceret, ἑαυτὸν ἠκόντισεν εἰς τὸ μέσον. Manilius de petauristis et parabolanis saltatoribus dixit : Sese jaculantur in auras. Quod in poeta et de illo hominum genere vix ferendum est, at insanum meritò videtur de imperatore, qui in hostes confertissimos ruit.

Si non jam verba singula, sed enuntiatorum conformationem attentè consideraveris, majora clarioraque degenerantis et adulteratæ linguæ signa reperies. Primum, hoc notandum est quod mendosè præpositionibus sæpius utitur. Ut exempla referam, haud semel nobis occurrit « *adhuc* » pro « *insuper :* » quod malæ latinitatis est : « Ad iniqua pondera, ait Florus de Brenno, additur adhuc gladius [6]. »

---

(1) Florus, I, 17. — (2) Id. I, 24; I, 13. — (3) Id. I, 36. — (4) Id. 4, 12 (N). — (5) Id. I, 9. — (6) Id. I, 7.

« *Citra* » idem quod « *præter* » significat : « Et » citra spem omnium fortuna cessit. » Quod tantum apud alios posteræ ætatis scriptores est, ut apud Gellium : « Citra morem gentium Græciæ ce- » terarum [1]. » Hoc quoque Floro et multis deflorescentis linguæ auctoribus commune est, quod « *circa* » pro « *in* » vel « quod attinet ad » dicitur : « Frustrato, ait Florus de Mucio Scævolâ, circa pur- » puratum ictu [2] ; » et simili culpâ : « Fabricius » decem pondo argenti *circa* Rufinum consularem » virum quasi luxuriam censoriâ gravitate damna- » vit [3]. » Multa alia in præpositionibus occurrunt quæ antiquis temporibus aut nulla certè in oratione aut rara erant. Ita præpositiones frequentissimas *è* et *à*, non addito participio, Florus habet, ut in his locis : « Sed hos præcipuè Titus Quinctius domuit, » *ille dictator* ab aratro [4], » et « elephas nuper a » sylvâ [5]. »

Nec minor in particulis conjunctionibusque observatur negligentia. Nunc « *ne* » pro « *ne quidem*, » nunc poeticum illud « *nec non* » ad satietatem reperias. Quoties quoque, poetarum more, adhibeatur a Floro « *dubium an* [6] » notandum est.

« Nullò » pro « nullâ re, » et « aliquo » pro « ali- » quâ re [7] » Florus dicit. Apud eumdem permutantur etiam et « *præterea*, » « *interim* » et « inter-

---

(1) Gellius, ii, 5. — Florus, i, 35. — (2) Id. i, 4. — (3) Id. i, 13. — (4) Id. i, 5. — (5) Id. ii, 13. — (6) Id. i, 27; i, 22; i, 30; ii. 13; etc. — (7) Id. i, 44.

» dum [1] : » quæ omnia tantum apud recentioris linguæ auctores nobis occurrunt. In pronominibus sæpè Florus peccat. Etenim nunc præter necessitatem addita sunt [2]; nunc contra bonæ latinitatis usum desiderantur. Ceterum incredibili modo in omnium generum ellipses Florus cadere solet. Nempè, ut exempla referam, propter nimium brevitatis studium sæpè fit ut hæc verba « *ire, proficisci, velle,* » aut similia prætermittat [3], adverbia « *modo, solum, tantum, tamen, ut* » inutilia consideret [4]. Quæ posteræ ætatis scriptoribus propria sanè sunt, apud quos tam frequenter obviæ sunt ellipses, ut vix propter illud vitium aliquando intelligi possint.

Immò Florus activum verbum neutraliter usurpare non dubitat, ut in hoc procemii loco : « Inertiâ » Cæsarum quasi consenuit atque *decoxit :* » quippe quod pro « *decoctum est* » occupetur. Rursus passiva pro activis invenias : « Scipio ille posterior singulari » certamine, *quum rex provocatus fuisset*, opima » retulerat. » « *Provocari* » pro « provocare » ibi activam significationem habere constat [5]. Nec illud moror, quod apud Florum genitivi et dativi sæpè promiscuè ponuntur : sic reperias « præsagia fatis » pro « præsagia fatorum [6]. » In hoc quoque latinè pessimè Florus loquitur quod nomina regionum ut urbium, omissâ præpositione, construere solet.

---

(1) Florus, I, 22. — (2) Id. I, 7; II, 2. — (3) Id. I, 4; I, 13; I, 37; I, 40; II, 5; II; 10. — (4) Id. I, 1; I, 18; I, 22; II, 12. — (5) Id. I, 33. — (6) Id. I, 22.

« Britanniam transit [1], » et simili modo : « Sardi-
» niam annexamque Corsicam transit [2]. » Adde singularem numerum pro plurali sæpissimè positum : « Barbarus, Apulus, Lucanus, Eques, Ger-
» manus, Macedo [3]. » Postremo non temperat sibi Florus quin ultra modum græcas construendorum verborum rationes affectet. Quod inter alia apparet in frequentissimo accumulatorum genitivorum usu, in participiorum absolutis ablativis, in quorumdam propriorum nominum formis.

Sed jam nobis superest ut paucis exemplis ostendamus quam incredibili illa Flori lingua paupertate laboret. Videlicet istis rhetoribus divite et uberrimo vocum fonte opus fuisset, ut egestas cogitationum et inanitas dissimularetur : verùm ne illud quidem habent ideoque semetipsos ad verba perpetuò repetunt. Res ita apud Florum est : quippe quem inopia linguæ sæpissimè coegerit ut verba sua verè ridiculè etiam in eodem loco centies dictitaret. Quam paupertatem repetitæ ad satietatem particulæ etiam unâ in sententiâ demonstrant. Quis enim æquo animo toleraret profusum illud « *planè quasi* » et in quâque ferè paginâ cantitatum ? Haud aliter « *sic, repentè, deindè,*
» *tum,* » ibidem ferè sexcenties leguntur. Ineleganter accumulantur vanæ tumidæque admirationis vel doloris formulæ : « O nefas ! — Horribile dictu ! — Quis

(1) Florus, I, 44. — (2) Id. I, 18. — (3) Id. I, 44 ; I, 13 ; I, 22 ; I, 44 ; I, 30.

» ferat? — Quis credat? — Infandum! — Pudet di-
» cere! — Mirandum! — Mirabile dictu! » Porrò quidam est verborum orbis, in quibus propter sonum egregium resolvendis Florus sibi placet : attende enim animo quoties tibi occurrant omnia ista : « *invadere, grassari, opprimere, debellare, mortem* » *vel fugam occupare, detonare, distringere.* » Jam aliàs indicavimus quam frequenter easdem comparationes integras revocaverit et paulo longius monstravimus quomodo bella ignibus et incendiis, duces autem facibus et fulguribus æquiparare Florus soleret. Vide quoque exempli causâ quoties redeant hæc verba : « quasi contagio quodam (1). » Noli omittere quomodo incipiat belli punici secundi narratio : « Ecce alterum bellum, minus quidem spatio, sed » adeò cladium atrocitate terribilius ut, si quis con- » ferat damna utriusque *populi*, similior victo sit » *populus* ille qui vicit. Urebat nobilem *populum* » mare ablatum (2). » Nonne miserè trudunt se : *populus, populi, populum?* Poeticum illud, quod jam vituperavimus, « nescio an » immoderatè ponitur (3) : item est de his verbis : « quasi de *indus-* » *tria* (4), » et « *latè* » vel « *latius* (5). » Multa alia istiusmodi amolior et amoveo : nam restant majores in eodem genere culpæ, quibus facile est melius et clarius agnoscere quanta inopia Florianæ linguæ

(1) Florus, I, 3; I, 10; I, 29; I, 33; I, 34. — (2) Id. I22.
(3) Florus, I, 1; I, 22; I, 27; I30; I, 30; I, 38; II, 13.
(4) Florus, I, 22; I, 24; II, 13. — (5) Id. I, 8, 12, 13, 18, 21, 25, 33, 41, etc.

inesset. Etenim rhetor noster, quamvis æstuet, trepidet, semetipsum multis modis sollicitet ut multiplex et copiosus esse videatur, tantâ sermonis penuriâ laborat, ut sæpè ei necesse sit non solum verba singula, sed etiam tota satis longi spatii enuntiata magno ore repetere. Eam sententiam pluries alio atque alio amictu indutam referre ne potest quidem. Non omnia istius paupertatis documenta, sed quædam maximè conspicua monstrare operæ pretium est. Legitur in Tarentini belli narratione : « Totam Italiam et cum his omnibus Pyrrhum, » clarissimum Græciæ regem, *una veluti ruina pa-* » *riter involvit* (1). » Iisdem Florus verbis utitur bellum adversus Gallogræcos gestum memorans : « Gallogræciam quoque Syriaci belli ruina invol- » vit (2). » Tertium ea redeunt : « Totum pænè Orien- » tem ac Septentrionem ruina involvit (3). » Invenitur in vicesimo tertio prioris libri capite : « Plus » est provinciam retinere quam facere. » Quod rursus in trigesimo libri alterius capite tibi occurrit : « Dif- » ficilius est provincias obtinere quam facere. » Nunc vide quæ Josephus Reber in dissertatione de Floro inter se, ut paria, meritò contulerit : quippe qui animadverterit similes esse maritimorum apud Œgates insulas et apud Actium præliorum narrationes. « Aderat, ait Florus de bello punico primo, » commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis » gravis classis et in ea quasi tota Carthago ; quod

(1) Florus, I, 13. — (2) Id. I, 27. — (3) Id. I, 40.

» ipsum exitío fuit. Romana classis prompta, levis, » expedita, et quodam genere castrensis, ad similitudinem pugnæ equestris sic remis, quasi habenis, » agebatur; et in hos vel illos ictus mobilia rostra » speciem viventium præferebant. Itaque momento » temporis laceratæ hostium rates, totum inter » Siciliam Sardiniamqne pelagus naufragio suo » operuerunt (1). » Cui loco gemellam, ut ita dicam, compara Actiacæ pugnæ narrationem : « Nobis quadringentæ amplius naves, ducentæ minus hostium, » sed numerum magnitudo pensabat. Quippe a senis » in novenos remorum ordines, ad hoc turribus » atque tabulatis adlevatæ castellorum vel urbium » specie. Quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris » naves — itaque habiles in omnia quæ usus posceret ad impetus et recursus flexusque capiendos » — adortæ missilibus simul rostris ad arbitrium » dissipavere, nec ullâ re magis hostilium copiarum » apparuit magnitudo quam post victoriam : quippe » immensæ classis naufragium bello factum toto » mari fluitabat (2). » Nec minorem ferunt similitudinem bellorum contra piratas a Pompeio et Balearicas gentes a Metello gestorum narrationes eo magis vituperandæ quod parvo intervallo separantur. « Mox, ait Florus de piratis, ubi circumfusa undique » rostra viderunt, abjectis statim telis remisque, » plausu undique pari, quod supplicantium signum » fuit, vitam petiverunt (3). » Eodem vide quomodo

(1) Florus, i, 18. — (2) Id. ii, 20. — (3) Id. i, 40.

Balearicum bellum narrans abutatur : « Nam post-
» quam cominus ventum est, expertique rostra et
» pila venientia, pecudum in morem, clamore su-
» blato petiverunt fugâ littora [1]. » Post istam tot culparum lustrationem, ultrane dubitabis quam corrupta et simul inops fuerit Floro latinitas? Rem poteram longius demonstrare : sed cuilibet æquo lectori me satisfecisse credo, non exhaurire cuncta ad satietatem cupiens, sed indicasse luculentissima et gravissima quæque contentus.

---

(1) Florus, I, 42.

CONCLUSIO.

Quid ergo? Num decet, ut nonnulli putaverunt, adolescentulis in ipsâ studiorum incude positis Flori breviarium commendari, ut, nondum imbuti rerum Romanarum cognitione, tanquam in tabellâ quâdam ortum et processus populi togati sequantur? Equidem vehementer infitias eo, quum tot chronologicos, geographicos, historicos errores, non solum propter negligentiam ignorantiamve, sed etiam de industriâ commissos, diligenter notaverim et clarè, ut opinor, demonstraverim quam indignus historici nomine Florus habendus sit. At, dicet aliquis, nonne, nisi ab historico, a scriptore saltem haud mediocris utilitas haurienda est et percipienda? Ne id quidem concedo. Etenim probare conatus sum quantis vitiis scholam et declamatorias artes redolentibus Flori stylus et mores inquinentur, imò quantâ inopiâ quibusque maculis Flori latinitas deflorescentem posteræ ætatis linguam sæpissimè sapiat, quomodo denique tot culpæ nonnullis virtutibus, rhetoricis ipsis et levibus, non pensentur. Quaprópter non dubito quin juvenes, tot falsis illecebris decepti et

innutriti, pueriles sensus pro gravibus, declamatorios pro magnificis, frigidos aridosque pro subtilibus et atticis, omnia istius sermonis vitia pro sanis appetant, vel, quamvis a prudentibus magistris moniti, quæque pravissima bonis præferant.

Verùm si quis, jam sciens propter amissam sub principatu libertatem et muta rostra et florentes magis in dies rhetorum officinas non solum eloquentiam imminutam, sed omnia litterarum genera in pejus mutata esse, perspicere voluerit quomodo in isto doctarum disciplinarum misero naufragio ipsa oppressa sit historia et tantum declamatoria exercitatio facta, ei pretiosum illius corruptionis, cujus causam, ortum et incrementum in quarto disquisitionis meæ capite adumbravi, exemplar Flori liber occurret. Etenim persuasum habeo opus illud a Floro compositum esse ut in his auditoriis, quæ otiosorum delicatorumque hominum, omni exquisitæ oblectationi, nullis autem seriis ludis inservientium, frequentia celebrabat, recitaretur. Videlicet vel apud Hadriani æquales nullus sani ingenii magister, ut discipulos Romanam historiam doceret, librum illum in manibus versari jussisset, neque vir verè doctus sapiensque levissimum negligentissimumque scriptorem æquo animo tulisset. Ergo non aliis Florus destinasse opus suum haud immeritò videtur quam istis recitationum amatoribus, quorum, ut supra dixi, auribus tantùm blandiri sermonibus inauditis adhuc, vulgaria consuetaque fastidientibus, ac penè jocis histrionalibus oportebat.

Quamobrem in summâ censeo Flori breviarium eruditorum laboribus et controversiis, non instituendis pueris adolescentulisve a nobis tribuendum esse.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbonâ, a. d. VI, cal. sept. anu. MDCCCLXXV.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

PATIN.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

Ex typis DODIVERS, Vesontione, viâ dictâ magnâ 87.

INDEX.

PROŒMIUM 5

CAPUT PRIMUM.

De Flori nomine et ætate 7

CAPUT SECUNDUM.

Quibus historicis fontibus Florus usus fuerit 32

CAPUT TERTIUM.

Quam malè optimis fontibus Florus usus fuerit 53

CAPUT QUARTUM.

Quibus ætatis suæ rhetoribus Florus annumerandus sit 77

CAPUT QUINTUM.

Quo ordine, quem ad finem res romanas Florus tractaverit 97

CAPUT SEXTUM

De Flori moribus et stylo. 118

CAPUT SEPTIMUM.

Cujus latinitatis verbis Florus utatur. 157

Conclusio 169

A LA LIBRAIRIE D'ERNEST THORIN, ÉDITEUR.

AUBÉ (B.), docteur ès-lettres, etc. — *Saint Justin philosophe et martyr*. Essai de critique religieuse. De l'apologétique chrétienne au IIe siècle. 1 vol. in-8°. 6 »

BARBIER (J.-C.), conseiller à la Cour de cassation. — *Les deux arts poétiques d'Horace et de Boileau*, avec traduction en vers et en prose. In-12. 3 »

Jolie édition imprimée en caractères élzéviriens et sortie des presses de Claye.

BENLOEW (Louis), doyen de la Faculté des lettres de Dijon.— *Aperçu général de la science comparative des langues*. 2e édition, augmentée de deux traités lus à l'Académie des inscriptions et belles-lettres, d'une classification des langues et des modes d'écriture d'après le docteur Steinthal, et d'un traité de la formation des langues celtiques. 1872. In-8°, avec 4 planches. 3 50

BURON (L.-L.), professeur de belles-lettres, bibliothécaire à Sainte-Geneviève, officier d'Académie. — *Histoire abrégée des principales littératures de l'Europe*, avec tableaux et sommaires. 1 beau vol. in-12. 3 50

Ouvrage couronné par la Société pour l'instruction élémentaire.

CHAIGNET (A.-Ed.), professeur à la Faculté des lettres de Poitiers. — *Théorie de la déclinaison des noms en grec et en latin*, d'après les principes de la grammaire comparée. 1875. In-8°. 4 »

DESDOUITS (Ph.), professeur de philosophie au Lycée de Versailles, etc.— *La Philosophie de Kant*, d'après les trois critiques. 1876. 1 vol in-8°. 8 »

Ouvrage couronné par l'Académie des sciences morales et politiques.

DUMONT (Albert), directeur de l'école française d'Athènes — *Inscriptions céramiques de Grèce*. 1870. 1 beau vol. gr. in-8°, imprimé à l'imprimerie nationale, contenant : 6 pages préliminaires, 445 de texte avec un très grand nombre de caractères épigraphiques, près de 150 bois intercalés dans le texte, et 14 belles planches noires ou coloriées renfermant un grand plan d'Athènes, 4 fig. color. et 259 fig. grav. 18 »

Tiré à 150 exemplaires. Presque épuisé.

— *Fastes éponymiques d'Athènes*. Nouveau mémoire sur la chronologie des archontes postérieurs à la CXXIIe olympiade : tableau chronologique et liste alphabétique des éponymes. 1874. Grand in-8°. 5 »

— *Peintures céramiques de la Grèce propre*. Recherches sur les noms d'artistes lus sur les vases de la Grèce. 1874. In-4°. 7 50

— *Inscriptions et Monuments figurés de la Thrace*. 1876. Grand in-8°. 5 »

PERROT (Georges), membre de l'Institut. — *Essai sur le droit public d'Athènes*. 1 vol. in-8°. 6 »

Ouvrage couronné par l'Académie française.





Lf 14.87
Flori historici vel potius rhetoris
Widener Library 004447375
3 2044 085 199 602